REFVTATIO DISCVRSVS DICTI NECESSARII,

Qui nuper

IN POLONIA EDITVS, POPVLVM Dantiſcanum, in præſenti ſuâ, de novi Telonii marini introductione, exortâ controverſiâ, variis conviciis immeritò laceſſit,

Neceſſariò conſcripta ad demonſtrandam Civitatis ejus innocentiam.

autore Joanne Chemnitio Secretario Gedanen.

ANNO DOMINI

cIↃ IↃ c XXXVIII.

AD LECTOREM CANDIDVM.

PRodiit hoc anno 1638. in lucem Diſcurſus, dictus, Neceſſarius, & quidem, uti præ ſe fert, operâ cujuſdam Nobilis viri Poloni, contra Dantiſcanos editus. Hic autor in eo, omnibus patriæ ſuæ amatoribus, veriſque Patriotis demonſtrare conatur, quantum utilitatis univerſa Reſpubl. Regni Poloniæ, ex plauſibili tentatâ telonii marini exactione colligere: & quomodo viciſſim, diu jam uſitatæ exorbitantiæ, quas maritimæ Civitates multis ab hinc annis, obſoletis ſuis conſuetudinibus, cervicibus, ut ait, Polonorum impoſuêre, nunc demum antiquari, & abrogari poſſint, ad tuendam liberæ Reipubl. Polonæ, & patriæ ſalutem, ſummamque ejus auctoritatem, & libertatem.

 Quod

Quod ſcriptum, cum varia ſphalmata politica, & hiſtorica contineat: inprimis verò Dantiſcanos intolerandis criminibus aggravet, viſum eſt revocare ad examen ingenuum; per quod, juvante Deo, incorrupti judicii Lectori, nec minus juris, & juſtitiæ, affectui patriæ longè præferendæ, amanti conſtare poterit, quam minimè celſiſsimæ Reipublicæ Polonæ, ſalvis juribus ſtatus, commendari poſsit novi, in portubus Pruſsiæ, telonii marini violenta inſtitutio: Tum etiam Civitatis Dantiſcanæ vetera privilegia, ſine præjudicio publicæ fidei nequaquam aboleri, aut coarctari poſſe. Quod cum fiet decenti modeſtia, & ſolius Veritatis aſſerendæ ſtudio, danda eſt Autori venia, ſi Diſcurrentis illius provocatus liberiori judicio, de rebus ad hanc cauſam pertinentibus, prorſus ita, ut in jure & facto comparatæ ſunt, ſine propoſito ullum hominem offendendi, bonâ fide diſſerat.

PRÆ-

PRÆLIMINARIA EXAMINIS OPPOSITI DISCURSUS.

QUI Sereniſſimo Regi, Potentiſſimæque Reipubl. Polonæ inſtitutionem novi telonii in Mari Baltico perſuadere conati ſunt, arcem ejus rei in Dominio maris, loco lubrico, ac hoc tempore variis controverſiarum procellis agitato, collocarunt. Nam præterquam quod haud ita pridem Mari, ex ſententia veterum juris-peritorum libero, mota quæſtio ſtatus, nondum planè in legitimo judicio deciſa ſit, hoc quoque accedit, quod gentibus aliis in poſſeſſione Maris Baltici conſtitutis, & re navali pollentibus, populus Polonus juris ſui compos fieri nequeat, ſine gravi contentione. Verum pro præſenti ſcopo diſputationis noſtræ haud illibenter largientes, populo Pruteno, ratione juris originalis, ac communis gentium, tantundem licere in uſu Maris Baltici quantum licet populo Dano, Sueco, cæteriſ-

que ejus accolis, hoc ſaltem inquirendum putamus qualis ſit conſtitutio ejus juris in populo ſive Pruteno, ſive Polono. Conſtat autem Pruſſiam, poſtquam ceſſit in Ditionem Regis Poloniæ, iſtius Reipub. partem, ſive membrum factam fuiſſe; cum antea ſub poteſtate Crucigerorum, peculiaris eſſet regio, tam ab Imperio Regis, quam communione Reipubl. Polonæ ſeparata, & diſtincta. Quo tempore, nî fallor, Regnum Poloniæ nihil in mare Balticum prætendere potuit: ſed poſtea ex acceſſione Pruſſiæ, cujus ſunt portus, & littora, occaſionem primùm diſquirendi cœpit, numquid ſibi juris aliquid in mare, per illam Vnionem accrevit. Proinde cardo rei præcipuè in forma Vnionis, quam incorporationem vocant, vertitur: de qua accuratè videndum eſt.

Acciderat autem vicio humano, quod Crucigerorum Equitum Magiſter una cum ſuis Commandatoribus, in gubernatione Pruſſiæ prolapſus ad Tyrannidem, ſubditorum ſuorum patientia, pluſquam divini & humani juris ratio concedit abuſus fuerat. Hinc miſeri, ſuperiorum curâ & ope, quam ſæpius fruſtra requiſiverant, deſtituti, conſilium cœperunt perfringendi ſervitutis jugum: eoque tandem fauſto ſucceſſu executioni mandato, Dei beneficio plenam libertatem recuperaverunt. Hujus verò facti ſocii non quidem univerſi fuerunt Pruteni, ſed

aliquot

aliquot ſaltem nobilium familiarum egregii viri, & oppida, veluti Dantiſcum, Thorunum, cum nonnullis aliis. Quibus hac in rerum ſuarum ſorte, nullius fuit in alterum imperium, ſed commune ſaltem ex inito fœdere conſilium, in quo de formando certo libertatis ſuæ ſtatu, vique propulſanda deliberatum fuit.

Schütz Chronic. lib. 4. p. 151. seq:

Hæc eo ſpectant, ut appareat, ubi tunc temporis Maris fuit Dominium littoribus, & portui partium illius inſurgentis Pruſſiæ annexum? Videlicet penes ſolum populum Dantiſcanum, qui ſuperioris imperio prorſus ſolutus, portum cum littoribus proximis abſoluto jure, ipſiuſque Maris poſſeſſionem navibus ſuis tenuit. Ex quibus patet, quicquid juris ſit, quod ſtatui Prutenico, & per mutuam Conjunctionem Regno poloniæ in Mare Balticum competit, primario, juris hujus, quod Civitati tunc temporis acquiſitum, vel conſervatum fuit liberali communicatione partum eſſe. Subſecuta vero poſthac per interpoſitos tractatus ſpontanea Deditione, quæ certo modo determinatam ſubjectionem continet, hi ſupra dicti populi in fidem à Sereniſſimo Rege Poloniæ recepti ſunt, ita quidem, ut populus Prutenus cum populo Polono, deinceps in unum corpus, ſub uno, eodemque Rege concederet: Quemadmodum conſtat Lithoanum quoque populum, cum Polono

Tempore, q. fuit inter defectionem et Incorporationem Prussiæ, Dominium Maris, fuisse penes solos Dantiscanos absolute.

Deditione Prutenorum cum Polonis, eiusque unionis forma. J. Municip. priv. 2

proſpe-

proſperis auſpiciis tandem coaluiſſe, ſuis cujuſque Status, & libertatis juribus ſalvis, & illibatis.

Autonomia Borussorum.

Hoc pacto populo Pruteno, ſtatim ab initio factę Vnionis, peculiare conſilium Status, & autonomia in uſu fuit; tum & alia Nobilitatis, atque Civitatum privilegia, Diplomatibus Regum corroborata ſunt; ex quibus ſatis liquet, nullum populo Polono per hanc Vnionem, ſive, ut loquuntur, inviſcerationem, in populum Prutenum imperium quæſitum, ſed inter hos populos, quondam hoſtilibus factis diſſidentes, conditam fuiſſe fraternam ſocietatem, mutuamque neceſſitudinem, ſub uno Rege, qui huic populo combinato, ſecundum ejus jura, Reique publicæ ſtatum clementiſſimè imperaret: & quem viciſſim hic populus, juxta libertatis ſuæ modum ac rationem, plenâ fide, promptiſque ſubjectionis obſequiis veneraretur.

De forma imperii regii in statu Prutenico.

Contulit enim Regi populus Prutenus, tam in Equeſtri, quam Civili ordine comprehenſus ſublime jus, non abſolutæ, ſed ordinatæ poteſtatis, ſecundum fundamentalium legum Status ſui diſpoſitionem, & tenorem: Quemadmodum ejuſdem Sereniſſimi Regis poteſtas in populum Polonum tunc quoque non abſoluta fuit, ſed ad certas Chriſtianæ libertatis regulas, quæ formam iſtius Reip. determinant, compoſita. Ita tamen, ut nihilominus Regiæ Majeſtatis

ſplendor

ſplendor in libera Rep. veluti quoque fit in Romano Imperio, & aliis benè conſtitutis regnis, multis in actionibus Regi luculentiſſimè conſtet.

Hoc ſolo fundamento nititur Ius libertatis, quo Nobilitas Prutena, pari gradu cum Nobilitate Polonâ, ſub uno Rege inclyto, & auguſtiſſimo, in hunc uſque diem gaudet. Adeò ut abſonum, aut piaculare haud videri, nec ſtomachum movere debeat, cum ſimiliter aſſeratur, eundem populum Prutenum, in Civitatibus liberis commorantem, eo libertatis jure, quod certis ſtatus ſui privilegiis, & longiſſimo uſu determinatum poſſidet, pari cum Nobilibus felicitate frui, nec ſublimem Regis Majeſtatem vellicari, quoties juris iſtius uſu, liberi populi in Civitatibus, cum devoto Regis ſui cultu, libertatem ſuam conſervare ſtudent.

Eſt autem Civitatum Pruſſiæ, inprimis quas primarias, & Majores vocant, non pudenda conditio: Nec eas ideò extremo cum periculo, & ſummo virtutis auſu tyrannidem excuſſiſſe probabile eſt, ut duntaxat Nobilium ſtatui, propriæ ſuæ libertatis oblitæ, conſulere atque mox iterum, mutatis ſaltem perſonis, in abſolutum Dominatum recidere voluerint. Hinc Cromerus de plebe Prutena, in deſcriptione Poloniæ, refert, Eam paulo (imo verò non paulò, ſed ut ex ſequentibus ejus verbis ſatis ſuperque inno-

teſcit revera multò, ac quidem incomparabiliter) melioris conditionis eſſe in Pruſſia, quam reliqua Polonia. Nam eodem cum Nobilitate jure (verba ſunt Cromeri) & eiſdem legibus utitur: prærogativis modo quibuſdam (nullis verò libertatis juribus) inferior: per quas tamen plebei, neque à bonis terreſtribus, neque ab honoribus, & Magiſtratibus, & ſacerdotiis, neque à conſilio publico (vide quid in prærogativis magnopere ſuperſit) arcentur. Nec Nobilitas (addit) modeſta, & frugalis eos dedignatur: quin decedit ea quoque una cum Sacro Ordine, nonnihil de immunitate ſua, Reip. & concordiæ cauſa. Qua ſua narratione adumbrat ſanè Cromerus, vir aliòquin præſtans, privato ſuo judicio, Statum Civitatum in Pruſſia, parum interim æquus civili Ordini; nimirum ob præconceptam opinionem ex more Polonico, quo vilis eſt admodum, & ferme infra humanam ſortem hominis plebei conditio: ſimul etiam oblitus communis Status libertatis omnium Prutenorum, eo tempore, quo facta eſt ſeceſſio à Crucigeris, & poſtea Deditio ſubſecuta. In quibus actionibus par fuit opera Nobilium & Civitatum, ac neſcio fere, an non in liberandis Vrbibus, Arcibuſque intercipiendis, ſine quibus tantum negotium vix fuiſſet confectum, potior quodammodo Civium virtus apparuit.

Hoc

De conditione civitatis Dantiscanae in Statu Prussiae.

Hoc ergo modo, cum cæteris Prussiæ liberis populis, Civitas quoque Dantiscana in potestatem serenissimi Regis Poloniæ concessit, non excidens libertate, sed eandem sibi, æquè ac reliqui Status, & Ordines retinens, certis, eisque sanctissimis Regis sui Diplomatibus firmatam. Eoque pacto in primâ Status prutenici dispositione, non tantum in generali participatione legum, communem libertatem sustinentium, cum cæteris indigenis, sed in publico etiam Status consilio locum tenuit, & inter paucos admodum, Majoris Dignitatis prærogativa ornatos, sors ejus in numerum Consiliariorum Prussiæ, quo nullus quidem excellentior in Prussiâ habetur honor, nec major autoritas, relata fuit. Hoc enim in Consilio Status, de Republ. deliberatur, & quicquid placuit, vim legis habet. Cognoscitur etiam de provocationibus terrestrium, & oppidanorum judiciorum: In quo jus suum ferendi suffragii, & dicendæ sententiæ Civitas Dantiscana, semper illuc binis è Magistratu ablegatis Consulibus expedire solet.

Quid in spontanea deditione Prutenorum legibus Poloniae ablatum et in specie qd à civitate Dantiscana.

Hæc vero cum ita se habeant, nec reliqua, quæ de constitutione portus adducenda sunt, mira videri debent. Nam cum in Deditione Prussiæ Vniversi quidem populi subjectionis fidem, & supremum Terrarum suarum Dominium, à nonullis Directum appellatū, singuli vero, quod peculiariter suum erat,

Sereniſſimo Regi deferrent: Videlicet Nobilitas militarem cum primis operam in periculoſis caſibus Regi, & patriæ forti virium ſuarum accommodatione declarandam: & oppidani non minus, quicquid in nervis ſuarum familiarium facultatum conſiſteret, juxta rei neceſſitatem, & æquabilem proportionem publico bono deſtinatum: Eo in ordine Civitas Dantiſcana, ex occaſione naturalis ſui ſitus præ cæteris, rem valdè eximiam exhibuit, ſinu quaſi celeberrimum portum Pruſſiæ, cum annexo jure Maris vicini comprehenſum gerens. Quod κειμήλιον tum temporis Civitati nequaquam ſurreptum eſt, ſed ut eſt res precioſiſſima permagni æſtimata fuit, & in illius fide remanſit, non ſecus ac aliæ Pruſsiæ Terræ poſſeſſoribus relictæ ſunt, ſublimi jure Majeſtatis, & directo, ut opinor dominio, in iis Regi conſervato.

Quis sit effectus factæ deditionis in consideratione juris et libertatis Civit. Dantiscanæ.

Effectus igitur hujus ſubjectionis eſt, quod ſereniſsimus Rex Poloniæ, jure nunc ſuo ſupremo Dantiſcanam Civitatem, una cum portu ſuam aſſerat: Eaque Civitas Majeſtatis ipſius mandatis, juri ſuorum privilegiorum non contrariis, ſubmiſsè parere teneatur. Vti eodem ſuo jure Rex univerſas Terras Pruſsiæ ſuas eſſe, rectè ſtatuit, ſuiſque mandatis, publicis legibus non contrariis, obſtrictas tenet; ſive ſint ſpiritualis, ſive Terreſtris, ſive Civilis, ſive ſpecialiter ſic dicti, Regalis juris: nimirum in conſideratione

ratione ſupremi & ſublimis Dominii. Quo quondam fermè ſenſu Romani imperii Principes, totius Orbis Dominos ſe profeſsi fuerunt. Interim manente ſingularum rerum proprietate, & uſu apud privatos Dominos; juxta omnes qualitates, quas ex jure Naturæ, & peculiari Status ſui forma conſecutæ ſunt. Quemadmodum vigore dicti iſtius ſupremi juris Regii in Terris Pruſsiæ, natura bonorum tam ſpiritualium, quam terreſtrium, aliorumq; mutari non poteſt: cum ex lege Status de eis diſpoſitum ſit, qualem naturam præ ſe ferant. Et ita quoque perinde ea, quæ Civitatis Dantiſcanæ propria ſunt maximè in primævâ fundatione Status ei attributa, aut poſtmodum ob merita Diplomatibus regiis collata, ſupremæ Regiæ poteſtatis jure, quod ab abſoluto dominatu differt, & formam ſuam ſpecificam ex totius Status fundamentali diſpoſitione conſequitur, transformari, minui, perimive ſine violatione Status nequeunt.

Ex quibus intelligitur, ſpeciale quoddam jus, juſto titulo acquiſitum, una cum legitimâ poſſeſsione portus, ſigillatim verò, juxta diſertam formulam Regii Diplomatis, jus ordinandi, diſponendi, & gubernandi portus, in peculio Civitatis verſari: adeoque nullius alterius poteſtatis locum eſſe in coercendo iſto exercitio, exceptâ ſolâ facultate jubendi, &

prohibendi navigationes: quæ ſaltem facultas, ſic ſimpliciter propter expreſſam in allegato Diplomate reſervationis clauſulam, expediri non debet, quin re id ipſum poſtulante, conſilio, ſcitu & voluntate Regis occluſio, vel reſeratio portus decernatur. De quo in ſequentibus, ſuo loco paulò prolixius dicendum erit.

De statu subiectionis civitatis Dantiscanae in quidem ... Reip. Polonae Et Prussiam atque Civit. Dantiscan. proprie subditam dici non posse statibus regni Poloniae.

Porro notandum eſt, quod omninò ſalvâ dignitate Reipub. Polonæ dictum volumus, jus illud ſupremi Dominatus à populis Pruſſiæ ſoli Regi, non verò populo Polono in voluntaria Deditione collatum fuiſſe. Adeò ut populus Polonus, populum Prutenum, ejuſdemq; regionis Terras, Civitates, & Caſtra, non magis ſublimi aliquâ juris Majeſtatici autoritate ſibi ſubdita ſtatuere poſſit, quam populus Prutenus, populi Poloni Terras, Civitates & Caſtra. Quoties verò Reſpubl. Polona in pleno ſignificatu, ex aggregatione diverſorum populorum, ſub uno ſui Sereniſſimi Regis complexu, compoſita, concurrentibus ſimul Lithuanis, Ruthenis, Prutenis, Maſovitis, Samogitis, & id genus aliis, in unum idemque corpus Reipubl. una cum Polonis, honoris & ordinis ergò primum locum tenentibus, tum quidem, uti de ſua parte, ad conſtitutionem integri pertinente, Pruſſiam vel Dantiſcanam urbem ſuam non ineptè populus Polonus, Lithuanusve dixerit: ſed eo in ſenſu, qui

qui nihil ſubjectionis infert. Siquidem eodem modo Pruteni quoque Poloniam, & Vrbem Cracovienſem, tanquam integri corporis ſui partem, ſuam, ſive quod ſignificantius ſonat, & communionem rei magis denotat, pronomine poſſeſſivo multitudinis, noſtram, ſano ſenſu dicerent.

Facta eſt enim Conjunctio tot populorum, ſine confuſione jurium, & rerum unius-cujuſque peculiarium: Quemadmodum Pruteni ex originali conſtitutione ſui Status, proprium ſuum habent conſilium, à Comitiis populi Poloni diſtinctum, eoque reſpectu, propriè loquendo, Leges Polonorum in Comitiis latæ, incolas Pruſſiæ non concernunt. Poſtea quidem ſingulari Prutenicę Nobilitatis facto à priſcis moribus aliquatenus receſſum eſt: Statibusque Pruſſiæ locus, & jus ſuffragii in Comitiis Regni, ſive publico, & generali Conſilio Reipubl. Polonæ conceſſum. Quod tamen ſuffragium adhuc ex certa eorum, qui in conſilio Status Prutenici clavum publicum tenent, additâ inſtructione ita Temperatum eſt, ut nihil in Comitiis Regni, quod ad Statum Pruſſiæ ſpectat, contra iſtius mentem fiat. Ideoque finitis Comitiis Regni, non multo poſt, generális conventus in Pruſſia celebratur, ubi de actis Comitialibus fit relatio: & ſi quid in eis, quod aſſenſum Statuum Prutenicorum haud mereri poteſt, occurrat,

De moderna forma status Prutenici.

id

id effectum in Pruſſiâ conſequi nequit. ſimile judicium de rebus eſto. Nam uti ſalis, & metallorum fodinæ in poloniâ ex conjunctione populorum, non ſunt factæ juris prutenici: Ita nec Portus-Dantiſcanus & littora prutenica populi Poloni propria fiunt eadem ex conjunctione. Vti etiam in Republ. Polonâ cæteri populi ad Remp. pertinentes, invito populo Polono de eiſdem ſalinis, & fodinis metallicis nullum jus ſtatuendi habent: Ita iidem populi, unà cum populo Polono in portu Dantiſcano, littoribus Pruſſiæ, & Dominio Maris Baltici, ſive prutenici, ratione portuum in Pruſiâ ſitorum ſpecialiter ſic dicti, perinde juris ac poteſtatis ſuæ limites excedunt, cum eis de rebus diſponendi facultatem ſibi ſumant, ſine Civitatis Dantiſcanæ, quæ nec in Poloniâ loco privati, cum inter Status Pruſiæ publicum ejus membrum conſtituit, cenſeri debet, ſingulari habitâ ratione, & tanquam locum Conſiliarii in Pruſiâ tenentis, accedente ſuffragio.

At ſi quæratur, quid demum commodi, & juris acquiſitum ſit Polonis, ac cæteris communibus membris ex mutua illa populorum, qui Rempubl. Polonam conſtituunt facta conjunctione? plurimum oſtendi poteſt. In vulgari uſu loquendi dicuntur quædam bona eſſe privativa, videlicet in remotione malorum conſiderata, quædam vero poſitiva.

Eo

Eo enim ipſo, quod per hanc Vnionem vetera diſſidia, & ſanguinolentæ contentiones, plurimos annos continuatæ, tandem inter hos populos ſublatæ ſint, ſatis amplum operæ precium factum videri poteſt. Accedit quod jam Pruſſia in Boreali limite Regno Poloniæ prætenſa, ab iſta plaga procedentes primos impetus hoſtiles, ſuo excipiat periculo, & à ſolo Polonico divertat. Præterea tenentur hi populi invicem conſilio, & ope in periculoſis caſibus, alter alterius commodum, & ſalutem juxta convenientem proportionem juvare: Vti id ipſum continuatis ferè annuatim certis contributionibus in communem Reip. uſum accommodandis declaratur. Et ſi quid ulterius ſocialis fides, ac fraterna neceſſitudo inter ſtatus, tam arcto unius, ejuſdemque Reipubl. vinculo connexos poſtulat. Evidens hujus rei exemplum ex noviſſimis actis Civitatis Dantiſcanæ proferri poteſt. Etenim cum ſub initium cæpti nuperi belli Prutenici, inter Regna Poloniæ & Sueciæ, Dantiſcanis adhuc cum populo Sueco, ſcitu & aſſenſu Sereniſſimi ſui Regis, jus commerciorum eſſet: adeoque hæ gentes nihil inter ſe privatæ litis, præterquam à Spiringiis exuſcitatæ haberent; Imo populus Suecicus Civitatem Dantiſcanam, ad continuanda vetera vicinitatis ſtudia ſedulo invitaret, & inſtantium periculorum belli immunem cuperet: tunc illa fidei ſuæ,

& neceſſitudinis cum Republ. Polona memor, repudiata Suecorum conſuetudine, ac ſummi bellatoris Guſtavi, gravem ob id vindictam ſpirantis, illata vi minimè fracta, præcipites Ejus ſucceſſus, non parum morata eſt, portuque excluſum tenuit, maximo totius Reip. Polonæ commodo.

Juris exigendi telonei fundamentum malè collocari in D[omi]nio maris vel territorii iure.

Reſtat ut addamus paucula de telonio, ad ſcopum noſtrum collimantia. Primo tenendum eſt, veteres rationem marinorum vectigalium in Dominio Maris minime conſtitutam habuiſſe. Erat tum mare liberum, hoc eſt, Naturali jure omnium commune judicabatur, & nihilominus in Italia & Sicilia, atque aliis Imperii Romani provinciis portoria vigebant. Nec enim in genuino uſu ad Dominium Maris ea pertinent. Sed quemadmodum rem monetariam propter communem utilitatem tam religioſe administrari decet, nullum ut inde lucrum ad fiſcum referatur: Ita quoque ex portu, præter id, quod ad tutum, ac commodum ejus uſum conſervandum neceſſariò requiritur, nullus alius quæſtus per exactiones faciendus eſt. Ideoque cenſus inde collectus, cum neceſſariis inpenſis veri ſimili proportione correſpondens, in æquitate juris naturalis rationem obtinet, quo nefas cenſetur, rem ſuam locupletiorem reddere, cum alterius detrimento.

Deinde conſtabit, ſi res æqua lance trutinetur, nullam

nullam vectigalis speciem ad propositum Reip. Polonæ accommodari posse. Nam quod propriè Portorium dicitur, & primariò ad conservationem portus, uti dictum est, refertur, jam olim in ostio vistulæ constitutum est. De quo licet pars dimidia extra verum suum usum, regiis proventibus accenseatur, tantundem tamen, vel etiam multò plus Dantiscani, quoties opus est, operosis structuris aggerum in coercendo dirigendoque cursu fluminis, & præsidii ad securitatem portus adjecti sustentatione, ex aliis legitimorum redituum collectis supplent, ita ut exteri nihil habeant, quod jure in eo desiderent. Atque de hoc veteri portorio, nunc nulla quidem est contentio. Species vero altera à finibus regionum, ubi de rebus transvectis exigitur, proprie telonium dictum, hoc in loco, propter rationem situs, nihil à portorio differt, nec usum in hac controversia obtinere potest. Finis enim Prussiæ in Boreali limite, ipsis in littoribus & portu Maris consistit: indeque proventus annuus jam pridem ad Regem, per singulares tractatus redit: Qui tamen sub specie novi alicujus additamenti (einer Seezulage) augeri non potest, tam ob id, quod ratio satis valida deficiat, uti mox dicetur, quam etiam ob pacta conventa inter serenissimos Reges Poloniæ, ac Civitatem Dantiscanam, quos tractatus portorii vocant. Tertio loco considerari potest vectigal, quod à datâ licentiâ exercendæ negotiationis in locis, ubi

Nullam vectigalis speciem ad propositum Reip. Pol. ingrediendo teloneo marino accommodari posse.

ex ſpeciali ratione Status, minus id exercitium liberum conceditur, nomen ſortitur. Verum & hæc ſpecies ad præſens negotium applicari nequit: quandoquidem id jus Civitatis antiquiſſimum eſt vel à Crucigeris Tyrannis nunquam in dubium vocatum: quo liberam ſibi facultatem vindicat ea Civitas, cum exteris gentibus commercia tractandi, navibus ſuis in alias regiones trajiciendi, aliarum gentium naves in portum, ac Vrbem recipiendi, ipſamque navigationem dirigendi, & ordinandi juxta ſuum arbitrium, & uſum negotiationi commodum. Quartò prætendi poſſet cauſa exactionis, ob ſecuritatem à pyratis, & aliis turbatoribus in mari navigantibus, non ſine ſumptu præſtitam. Quæ ratio ſoli ferè Regi Daniæ militat, dum is ex naturali ſitu Cymbrici freti facilime omnium præcavere poteſt, ne in Oceano conſuetæ infeſtationes perrumpant fauces Balticas, nec ſubortæ in Mari Baltico, præcluſis ad Oceanum effugiis, diu graſſari queant.

Verum his, & ſimilibus modis, ac impellentibus rationibus ingenuè præteritis, aliam magis favorabilem ſuggerunt cauſæ hujus patroni, quam ad perſuadendum gentibus hujus novi oneris præſtationem ſatis commodam & æquam judicant: nimirum Turcici Regni oppugnationem à Polona gente ingentibus viribus hactenus ſuſceptam: Quod opus, ad communem

An expeditio militaris contra Turcam suscepta, iustum sit

munem

munem omnium Christianorum incolumitatem spectans, jure & merito per hoc telonium marinum ab omnibus collato communi subsidio, juvandum & promovendum esse, probabiliter ratiocinantur. Et hic quidem omnes, vero Christanæ pietatis zelo ardentes, tam Mahumetanæ sectæ funestum interitum, quàm inclyto regno Poloniæ prosperos successus, splendida trophæa, & plenam de barbaris hostibus victoriam, ingeminatis votis precamur. Verumtamen videant istius argumenti inventores, ne in commendatione hujus rei insit aliquid iniqui. Nam negari non potest, reliquam Vngariæ partem à Turcis nondum occupatam, verum totius imperii Romani facultatibus contra vim Ottomannicam hucusque ægre tutatam, pari modo, veluti murum cæteris Christiani populi Regnis, & Rebusp. obductam conspici, furoremque Saracenicum non minus ibidem continuis ferè bellis, quam in Podoliæ & Prussiæ confiniis effundi. Idem quoque nec prorsus ineptè de suis provinciis, bellisque cum Tartaris diu continuatis & adhuc durantibus persuasum nobis cuperet magnus Moscoviҿ Dux. Et Melitenses milites in hac contentione quod gloriantur habent. Et præterea Veneti cum præcipuis Italiæ principibus ac Rebusp. portus & littora in Mediterraneo Mari possidentibus, & Hispaniæ Rex commodas occasiones captant, tam con-

ſilio, quam opera communi hoſti nocendi, nervos incidendi, & rem Chriſtianam ab ulterioribus ejus progreſſibus, tutam, ac ſecuram reddendi. In quos conatus, ſi ab annis centum, tam collatorum ſumptuum quam etiam conſumptorum exercituum directus calculus in comparationem veniret, fortè non deſideraret Reſpubl. Polona ſe ab iiſdem populis Chriſtianis, ſuo loco rem communem pro virili curantibus, peculiari collatione ſtipis juvari: Maximè cum divino beneficio jamdudum Polonia ab inteſtinis bellis immunis, & ex quam plurimis provinciis ubertate ſoli luxuriantibus compoſita, longè facilius propriis ſe viribus inſtruere valeat ad res gerendas, quam ferè ulla alia regio in Europa, cumprimis hoc tempore Chriſtianis populis mutuis ſe cladibus horribiliter conficientibus.

An aliarum gentium exemplum sufficere possit ad defensionem novi teloneii instituendi?

Verum ne in re luculenta modus dicendi excedatur, poſtremo loco hac in re palmarium ſaltem argumentum videamus, quod ab exemplo aliorum populorum deſumptum perinde in Republ. Polona obtinere debet. Quis enim neſcit portoria alibi gentium, pro libitu imperantium conſtitui? quibus inſtitutis exteras Nationes in commerciorum negotio conformare ſe oportet. Attamen hunc nodum primo aſpectu fermè inextricabilem, tribus expedire licet verbis. Nullus enim ex his, qui hanc ſibi poteſtatem ſu-

munt,

munt, ſpeciali pacto, Statui obligatus eſt, ne hoc faciat. Nam tam univerſa Pruſſia, quam Civitas Dantiſcana certis juribus, & privilegiis inſtructę ſunt, quæ novis vectigalibus firmiter opponuntur. Quod ſi in Hiſpania, Gallia, Britannia, Suecia, Dania & aliis locis, certi ſtatus ſimilibus privilegiis gauderent, Reges iſti nihil hujuſmodi, ſine illorum, quorum ea ſunt jura liberrimo conſenſu, ſalva fide tentarent. Iidem Reges in illis locis, de juribus Nobilium, ex utilitate publica, diverſimodè quoque diſponere ſolent: Quod ſi hoc exemplum in Polonia imitandum proponeretur, ſtatim, ni fallor exciperent: Nos Nobiles, contra hæc exempla, juribus libertatis noſtræ muniti ſumus. Quod itaque unusquiſque ſibi juſtum ac æquum eſſe in ſua cauſa judicat, idipſum aliis in pari cauſa non invideat nec propter apparens aliquod commodum in præjudicium tertii facto ſuo ſubvertat.

Atque hæc quidem, quod ad ſummam cauſæ attinet, informationis loco ſufficiant. Nunc breviter ad præcipua capita, ſic dicti neceſſarii Diſcurſus operam accommodabimus: ſperantes cum impunè fuerit accuſaſſe, non minorem neceſſariò inſtitutæ defenſioni immunitatem paratam fore.

Pri-

Primus Articulus, Discursus dicti Necessarii.

PER *ejusmodi Telonia Marina*, *Regnum Poloniæ Universaque Resp. Dominium Maris recuperet, in ejusque veram possessionem mittatur; & quia isthoc per multos jam annos tanti non fecerimus, uti quidem primores nostri consueverunt, inscribendo se Dominatores Maris Balthici, & in oblivionem tantisper apud nos transiit, factum est, ut principes exteri non solum ad Rheidas, & Portus nostros accedere, prætendendo ipsis Dominium Maris in solidum competere, sed etiam in fluminibus, & portibus nostris Regias nostras naves auferre, atque abducere præsumant, ut nuper præteriti anni* 1637 *die* 2 *Decembris à Danicis navibus perpetratum est. Imo iidem subditi nostri Dantiscani publicè effutire audent, Ius, sive Dominium nostrum, non longius in Mare sese extendere, quam quousque equo albicanti pertingere possimus. Quæ omnia inde proveniunt, quod Dominium Maris negleximus. Maritimæ Civitates, negligentiam, vel desidiam hanc nostram animadvertentes, Dominium Maris tandem diuturnitate temporis ad se pertrahere conquisivêre: quemadmodum Dantiscani idipsum quoque perquisivêre juxta privilegium anno* 1457 *à Rege Casimiro ipsis concessum, quo D. Casimirus Rex ad ipsorum petitum Administrationem concedit hisce sequentibus verbis: Omnes & singulas navigationes, cum omnibus littoribus*

ribus Maris nostrarum terrarum Prussiæ regendi, ordinandi, & gubernandi, omnemque navigationem indicendi & prohibendi, Nostro cum consilio, scitu & voluntate, vel nostri pleni potentiarii Mandatarii in absentia nostra. Hoc modo Dantiscanos à S. R. Majestate petiisse & sollicitasse Administratorem, quem Inspectorem administrationis suæ haberent, nusquam inauditum. Idipsum vafrè reticuerunt, sub imaginatione, quasi Dominium Maris nos omnino oblivioni tradidissemus, atque solum ipsorum esset, navigationibus, & portibus nostris commendare, uti jam dudum actitarunt, hacque ratione ex administratione sua proprietatem extorquere satagunt. Verum sciat, quoties administrator rem sibi commissam, ad placitum principalis sui non curare velit, tum demum ejusmodi Administrator removeri, & alius in ejus locum subvehi, aut etiam Dominus ipse administrationem in se recipere soleat. Quibus equidem satis superque superbiam atque insolentiam suam produnt, dum bravêum sive Regni rem pretiosissimam ad se rapere conantur, quasi sibi ipsis competeret, deque eo disponendi facultatem haberent, tam indicendo, quam prohibendo.

Responsio ad Articulum primum Discursus.

IN primo Discursus articulo multa continentur, de quorum veritate, depositis affectibus videndum est. Nam primo populum Polonum Maris Dominium

Populi poloni dominium maris Balthici unquam obtinuerint

nium aliquando tenuiſſe, expeditum non eſt. Tametſi enim gentes ſlavicas, ſive ſarmaticas, ſive Vandalicas, quomodocunque primores illos nominare libet, littus Venedici ſinus poſſediſſe, atque etiam claſſe polluiſſe non negatur: ob id tamen hos maris accolas populi Poloni Majeſtatem ſubmiſſè coluiſſe, certum non eſt: Vti nec hoc manifeſtum eſt, eaſdem gentes Danis, Normannis, & cæteris ſcandiæ populis, fauces, & reliqua Maris Baltici littora longo tractu obtinentibus, re navali ſuperiores fuiſſe. De his autem annotatum eſt, quod inter alios Helgo, ſive Olo in judicio herciſcundæ familiæ, conceſſis fratri terreſtribus Regni Daniæ regionibus, ipſe expreſsè in dominatione pelagi, partem hæreditatis conſtitutam acceperit, & quamplurimos maritimos Reges nauticarum virium certamine conſumpſerit. Vti nec hoc dubium habet, quod intra proximum ſeculum & quod iſtud excedit, Reges Daniæ, & Norwegiæ claſſe nunquam caruerint, quâ & in hyperboreo Oceano, & Mari Baltico juris aliquam prærogativam ſibi arrogârunt, nihil ſanè populo Polono, vel etiam Crucigerorum Magiſtro, littora & portus Pruſſiæ tenente, contra nitentibus. Imò ut appareat, quam parùm neceſſaria vis ſit in argumento, quo ex uſurpatione portus, ac conſtituto telonio, Dominatus in Mari ſtatim pollicetur, non alia, quam ipſorummet

An ab usurpatione telonii marini dominatus in mari Balthico necessario dependeat?

ſaltem

ſaltem Vandalorum hiſtoria diligentius evolvatur: Quandoquidem adeò, ſi quam habuerint contra validiores populos in Mari potentiam, tutari non potuerunt, ut tandem etiam titulum Regni Vandalici Regibus Sueciæ, ac Daniæ, Continentis vero poſſeſſionem Germanicis Nationibus cedere coacti ſint. Tantum enim perexigua veſtigia Sclavorum in maritimis illis ſedibus hodie ſuperſunt, ſurrogatis in illorum locum Saxonum coloniis, quæ Lubecâ Revaliam uſque, tractum omnem jam dudum occuparunt. Proinde ſuperioris ævi principes liberandi ſunt à culpa deſidiæ in promovendo Reip. commodo: Et non tantum prudentiæ aſſcribendum eſt, quod in terra firma longè lateque, Dei beneficio, ſtabilitum imperium, populumque campeſtribus expeditionibus inclytum, haud periclitari voluerint, exercendo nervos ultra fatalem (ut videtur) Regni terminum (quemadmodum colligi fermè poteſt ex amiſsâ Livoniâ, perexiguis hoſtium viribus à corpore Reip. Polonæ divulsâ, & lentis admodum progreſſibus in nupero bello Prutenico, felicius pactorum, quam armorum tractatu ſublato) ſed inprimis etiam ipſorum pietati, & religioni merita laus decernenda eſt, quod in determinando Regno cupiditati modum, ex præſcripto juſti & æqui ſtatuerint, tum & ab illicito quæſtu abhorruerint, cum alterius

injuria, vel turbatione publicæ tranquillitatis parando.

Porrò cum appareat, hoc inprimis Auctorem Diſcurſus intendere, ut Dantiſcanos malâ fide in poſſeſſione portus, & littorum Maris Prutenici conſtitutos eſſe arguat, ideò adhuc addendum eſt ſuperioribus, quod ad declarationem hujus rei maxime ſpectat. Dictum autem fuit, populum Dantiſcanum cum cæteris Prutenis, juſtæ ſuæ defectionis à Tyrannide Crucigerorum ſociis, juris ſui fuiſſe, & ab alterius ſuperioris Dominatu penitus liberum, abſoluta ſua poteſtate tenuiſſe, quicquid tenuit tunc, cum ſe benevola, & ſpontanea Deditione ſereniſſimo Regi Poloniæ ſubjecit. Conſtat etiam ante Deditionem factam, cum Dantiſcana Civitas Crucigeris adhuc pareret, Magiſtrum Ordinis, totam Regionem Pruſſiæ, cæteraſque annexas terras, & ſic unà quoque Dantiſcanam Vrbem nullo clientelari, aut fiduciario jure à Regibus Poloniæ tenuiſſe. Nam licet forte ſub initium introducti Ordinis, inter Maſoviæ Duces, vel Reges Poloniæ, & dictos Equites, pactum aliquod hujuſmodi fuiſſet, quod nondum probatum eſt, & in ſuſpenſo relinquitur: poſtea tamen, per ſubſecuta bella, & interpoſitos tractatus Vtriuſque partis, ſtatus iſte multoties novatus, & mutatus fuit, ita ut in Deditione juris poſtliminii conſideratio, propriè loquendo,

quendo, locum non habuerit; quod dilucidè, si res postulaverit, demonstrari potest. Tertiò negari nequit, quicquid Regi Poloniæ in Deditionis, & Reip. Polonæ, in Conjunctionis actu accessit, id omne prius in subjicientis se Regi, & accedentis ad Remp. populi facultate fuisse. Eoque pacto necessum est, jus portus, littorumque, Marisque, quod serenissimo Regi, Reique publicæ Polonæ ullo modo tribui potest, Prutenos illos maritimos, hoc est, populum Dantiscanum, prius mero & absoluto jure tenuisse: Tantumque ab altera parte acquisitum esse, non plus, non minus, quantum ab hac deditum: Et vicissim penes hanc dedentem, tantum, bona fide, justoque titulo (ad minimum in Regno Poloniæ, ubi defectio Prutenorum à Crucigeris justa censetur) consistere, quantum in Deditione reservatum, vel redditum, communicatumve fuit. Quartò quoque certum est, ex Diplomate acceptationis, & reciproca sponsione Statuum Prussiæ, Deditionem populi Pruteni simpliciter, sine omni reservatione jurium, nequaquam factam, sed totam hanc actionem, non magis in fideli subjectione, & obsequio Dedentium, quam justo imperio Acceptantis, exactaque conservatione jurium, libertatum, privilegiorum & immunitatum hujus populi fundatam fuisse. Quamobrem sicuti Dantiscani libenter, & humilimo subjectionis cultu

fatentur, ex hac Deditione ſuæ Civitatis ſereniſſimo Regi Poloniæ ſupremum jus Dominii, tam portus, quam Maris vrbi adhærentis quæſitum eſſe: Ejuſque Dominii duos inprimis inſignes effectus, ab hoc tempore, in poteſtate Regis Poloniæ, Domini ſui clementiſſimi, conſtitutos agnoſcant: quorum primus conſiſtit in exercitio permittendæ, & inhibendæ navigationis, quod jus Civitas Dantiſcana nunc temporis, cum hac reſtrictione tuetur, ut in ejus uſu conſilium, atque voluntatem Regis, quoties id opus videtur, attendat: Alter item in adornanda neceſſaria aliqua expeditione maritima conſpicitur, quatenus ex hac deditione portus Regibus Poloniæ, deinceps ad res ex uſu Reipubl. mari gerendas, patere debet. Ita viciſſim, urgente maximè publicâ fide Regiorum Diplomatum & juris jurandi religione, Civitati Dantiſcanæ jus & facultas liberrima præſtanda venit, omnes & ſingulas navigationes, cum omnibus littoribus maris Terrarum Pruſſiæ regendi, ordinandi, & gubernandi: Item eaſdem navigationes, ſi quidem nihil ea in re à conſilio, & voluntate Regis alienum occurrit, permittendi & inhibendi. Tum item, pari vigore ſolennium pactorum, hoc ipſum jus uſurpandi portus, in expediendo aliquo neceſſario apparatu maritimo, non aliter ad uſum transferri debet, quam prævia matura deliberatione, cum iis, qui ad publicum conſi-

consilium status pertinent & æqua Civitatis ratione habita, utpote quæ hujusmodi maritima expeditione præ cæteris, maximè afficitur. Hæc veró jura Civitatis, cum initio peragendæ Electionis, vacante Regno, cum reliquis cæterorum membrorum Reip. privilegiis, instar fundamentalium legum totius status Regni, in collatione suffragii præsupponantur, ac postea in actu Coronationis, ex certa conventione mutuæ fidei, in conservatione horum jurium libertatis ab una, & præstatione obsequii, ab altera parte testandæ, cuncta solennia inaugurationis regiæ peragantur: adeoque ex genuinâ formâ communis hujus Reip. jura illa Civitatis, cum multis aliis Eidem legitimè competentibus, talem vim atque Naturam induant, qualem publica, & solennia pacta conventa præ se ferre solent; qui fieret quod fides, & autoritas horum privilegiorum in dubium vocari, aut legitima possessio Civitati controverti posset, quin una omnium reliquorum Statuum, & totius Regni jura fundamentalia exponantur ludibrio, & via sternatur ad ea profananda, quæ hactenus firma, sancta atque inviolabilia in humana societate reputata fuerunt.

Tertiò quod non neminis, forte simplicioris intellectus in urbe Dantiscana (qui Dantiscani solius Regis sui se devotissimos esse subditos, status vero Prutenici partem integrantem, & sic per incorporationem

tionem Pruſſiæ Reip. Polonæ membrum fatentur: ullius autem Ordinis ſive ſpiritualis, ſive Equeſtris in Polonia ſubditos ſe non meminerunt) attinet profa- tum, id nullius criminis argui debet. Nam cum do- ctiſſimi quoque, Academicâ libertate, de Naturâ & proprietate Maris, generaliter ſic dicti, num ſub Do- minio privato comprehendi poſſit, diſputent: Et per majora ſuffragia eo inclinet ſententia, ut ſicuti Do- minium primariò in occupatione rei conſtitutum eſt, & occupatio non procedit, niſi in re terminata, id- circò nullius populi privato dominio ſubjici poſſit Mare, quod etſi finitum eſt, tamen propter magnitu- dinem, in apprehenſione noſtri ſenſus infinitum vi- detur: his citra fraudem præſuppoſitis, jam altera ſub- orta eſt quæſtio, quouſque ſaltem extendat ſe Iuriſ- dictio eorum, quorum in littus Maris excurrit Terri- torium? Et hic, cum non minus varient ſententiæ, Ioannes Bodinus quidem, in libris de Republ. aſſe- rit, jure quodammodo omnium principum, Maris accolarum communi receptum eſſe, ut ſexaginta mil- liaribus à littore princeps legem ad littus accedenti- bus dicere poſſit. Verum interim per univerſam Ger- maniam, & alibi gentium, innotuit dicterium de al- bicante equo, quod nimirum juriſdictio privatorum in mare haud longius porrigatur quam eques ſe citra periculum vitæ in illud committerre auſit. Quamvis

proba-

probabilius ſit propter fortalitia in oſtiis, vel littoribus Maris extructa, tantum ſe jus dicendæ legis in mari extendere, quantum exploſione majoris Bumbardæ glans ejus pertingere poteſt. niſi ſit aliud uſu, vel ſpeciali jure conſtitutum. Quocircà in hac varietate opinionum, ipſummet Dominium Maris præcisè non tangentium, Dantiſcano verti nequit in invidiam, ſi in re dubia, vulgaris opinionis, aliarum forte ignarus, occaſione data, meminerit.

Secundus Articulus Diſcurſus.

INdictionem & prohibitionem navigationis Maritimæ Civitates in Pruſſia acquiſiverunt Vſucapione, quâ Rempubl· Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Lithuaniæ, diu, multumque, uti ipſis libuit, ſuo, ſuorumque Civium maximo bono, atque emolumento, aggravarunt, atque enervârunt.

Reſponſio ad Articulum II. Diſcurſus.

QVamvis tres cenſeantur eſſe Portus Pruſſiæ juxta deſcriptionem Martini Cromeri, tamen Prothyra, ſive veſtibula, & ingreſſus Marini, duo tantum conſtitui poſſunt: quorum alter Pillavienſis, cum portoriis & omni juriſdictione, & impendiis in Ducis, alter vero Dantiſcanus in ipſius Civitatis atque Magiſtratus eſt poteſtate: Verum-tamen is Magi-

ſtratus, inquit Cromerus, ſine permiſſu, vel mandato Regio claudendi, & aperiendi portus poteſtatem non habet. Qua de re in autographo privilegii, ſic ipſius Regis verba, è germanico in latinum ſermonem tranſlata leguntur. Porro conferimus Nos, & damus modo commemoratis Conſulibus, ſenatoribus, ſcabinis, & toti Communitati, ex ſingulari Regia gratia, & favore, plenariam poteſtatem, & facultatem omnem velificationem (**alle Segellation**) jubendi, & prohibendi, noſtro conſilio, ſcitu, & voluntate, vel noſtri Vicesgerentis (**unſers Anwaldes**) in noſtra abſentia. Quæ ut recte intelligantur, ſciendum eſt, Mare Balticum, propter ſæviores tempeſtates in hyeme, per integrum annum, citra periculum non eſſe navigabile: Verum nemine etiam prohibente, ceſſare navigationem per aliquod ſeptimanas ante, & poſt brumale ſolſtitium. Hanc ob cauſam ex uſu navigationis, nec præter conſilium, ſcitum & voluntatem ſereniſſimorum Regum Poloniæ, multis ab annis, certum tempus receptum eſt, quo ſingulis annis ſiſtitur navigatio, inprimis quæ in exportando frumento conſiſtit. Nimirum ſub decurſum Autumni in ipſo die Martini Epiſcopi, ſecundum Iulianum ſtylum. Qui terminus rariſſimè, & tantum ad frequentiſſimas preces peregrinorum Nautarum in proximè ſequentem ſaltem diem, ad aliquot horas prorogari

Quis modo ordinariè servet in occludendo portu Dantiscano.

ſolet:

ſolet: idque ſine ullo detrimento, aut præjudicio ullius hominis in Regno Poloniæ degentis. Tempore vero verno, ob diverſimodam conſtitutionem hyemis, & reſolutionem glaciei in portu, certus dies per Naturam rei commodè aſſignari nequit. At primam quam libet occaſionem repetendæ navigationis, cupidiſſimè ab iis arripi, quorum poſt divinam benedictionem, præcipuum incrementum in continuo uſu commerciorum cum tranſmarinis populis conſiſtit, veriſimilius eſt, quam ut teſtimonio egeat. proinde fidem quoque non meretur, quicquid de occurrente ea in re gravamine, ab incolis Regni ferendo, in odium & invidiam Civitatis malevoli comminiſcuntur.

De vero sensu et usu Reservati regii circa occlusionem portus Dantiscani.

Præterea fieri poteſt, quod aliis de cauſis, & eo tempore, quo nec anni ratio, nec uſitatus commerciorum Status obſtat, navigatio aliquando ſiſtenda veniat, ſuadentibus id forte vicinorum populorum bellis, mutuave cum alterutra parte intercedente neceſſitudine, cui hoc opere maximè conſuleretur: de quibus extraordinariis caſibus ſuſpendendæ navigationis Reſervatum Regis in citato privilegio inprimis eſt accipiendum. Hic enim Civitas in alterius gratiam nihil ex ſuo privato ſtatuit judicio, ſed ſereniſſimi Regis ſui conſilio, ſcitu, & voluntate agit quicquid agendum putat. Atque hæc interpretatio ne-

quaquam frivola judicabitur, cũ perpenditur, quales olim fuerint conventus, & deliberationes Anſeaticarum Civitatum, in quibus tractatum eſt, de directione navigationis, conditaq; decreta, ſtatum commerciorum diſponentia. In quo collegio Civitas Dantiſcana, vigore memorati reſervati, ita quidem juris ſui in ordinanda re navali, conformandoque ſuo, cum cęteris ſuffragio abſolute non eſt compos, quin in articulo jubendæ, & inhibendæ navigationis, declarationem ſuam ad Conſilium, ſcitum & voluntatem Regis ſui referat. Vnde apparet, planè præter rem, in Diſcurſu, Vſucapionis mentionem factam eſſe: quandoquidem uſitata illa, & anniverſaria temporum momenta, tanquam Ordinaria, & in aula Regia ſatis nota, Specialem aſſenſum non requirant: reliqua autem extraordinaria etiamnum conſilio, ſcitu, & voluntate Regis à Civitate decernenda eſſe palam concedatur.

Quod ſi vero quæratur: Quo jure demum Civitas, ſola ſua autoritate, nuper omnem maris negociationem, uno quaſi temporis puncto ſuſtulerit? in promptu eſt reſponſio: Tanta enim tunc fuit anomalia rerum, in præcipuis quibuſdam negotiis, publicum Statum concernentibus, ut à ſola Civitate Dantiſcana, de jure privilegiorum periclitante, exacta legum obſervatio, ſalva æquitate haud potuerit, nec debuerit deſiderari.

Tertius

Tertius Articulus, Diſcurſus.

C*Ivitates Maritimæ, nullas ejuſmodi periculoſas correſpondentias, cum Exteris Regibus, & Principibus Mari vicinis amplius contra Remp. inſtituere poterunt, uti nunc factitant: Cujus rei exemplum in fine autumni Anni præteriti 1637. evidenter conſpeximus, ubi Dantiſcani, pro placito ſuo, Danicarum navium Officialibus, & cæteris ſociis navalibus aditum in ipſam Civitatem permiſerunt quotidiè, ibique ſummo honore exceperunt atque tractârunt, abſque omni animadverſione hoſtilitatis, adverſus S. R. Majeſtatis, & Regni Poloniæ, Regias naves, in Rheida Regia prope Dantiſcum perpetratæ, maximum in præjudicium, atque ignominiam inclytæ noſtræ Reip. Inſuper Dantiſcani defacto præparationes navales fecerunt, ad propulſandas Regias naves Polonicas de Rheida regia, uti etiam aliâs illis ipſis quotidie, quantum in ipſis fuit, maximopere adverſati ſunt.*

Articulus IV. Diſcurſus.

M*Aritimas Civitates in Pruſſia tam diu portus noſtros poſſediſſe, res eſt Reipubl. noſtræ pernicioſa, & cum periculo conjuncta, multoque periculoſius foret, ſi diutius in manibus ſuis retinerent: idque eo magis, cum manifeſtè liqueat, eos non vereri periculoſas ejuſmodi correſpondentias*

contra Patriam noſtram inſtituere, quo machinationes ſuas minimè excuſabiles, in ludibrium totius Regni Poloniæ, & Reip. ad effectum deducant.

Reſponſio ad Artic. III. & IV. Diſcurſus.

TRia hic declaranda ſunt, per quæ tam vanitas rei, in medium allatæ, quam etiam vehementia oppoſiti ſcripti cognoſci poterit. nimirum Civitatem Dantiſcanam nihil à moribus Majorum, & jure ſuo alienum facere, in colenda amicitia cum exteris Nationibus: Deinde hanc amicabilem converſationem utilem eſſe Regno Poloniæ. Denique ſtudium humanitatis, Sereniſſimo Regi Daniæ, ejuſdemque ſubditis nuper teſtatum, prorſus fuiſſe irreprehenſibile. Primò notorium eſt, Civitates Germaniæ, quas liberas, & privilegiatas vocant, jam per multa ſecula, in quieta poſſeſſione juris Territorialis, & complurium Regalium verſari. In ſpecie vero hæ Civitates contrahunt fædus (verba ſunt Chriſtophori Beſoldi in diſſertatione, de jure, & imperio Imperialium Civitatum.) Mittunt item Legatos, & bella geſſerunt ſæpiſſimè contra libertatis ſuæ inimicos. Verum harum in catalogum Civitatem Dantiſcanam olim, cum ſub Imperio Romano contineretur, relatam fuiſſe, ex Matricula Imperii, quam Leonhardus VVurſ-

De iure liberarum Civitatum imp. aliarum in Germania.

Civit. Dantisca non participem fuisse earundem iurium hun temporis cum sub

VVurfbein, in parte nona hiſtoricæ relationis, de incremento, & decremento Imperii, ſub Carolo Magno & ſubſequentibus Imperatoribus noviſſimè produxit, manifeſtum eſt. Sic quoque refert Georgius Schonborner in libris politicis jus comparendi huic Civitati fuiſſe in Conſilio Circuli Superioris Saxoniæ, ad quod tantum admittebantur, qui ad Statum Imperii pertinebant. Præterea notorium eſt, Anſeaticarum Civitatum ſocietatem, ab annis quadringentis ſuam ſuſtinere autoritatem, multorumque Imperatorum Regum & principum ad ſe miſſis ſplendidis legationibus honoratam eſſe: De cujus Collegii actis publicis, decretis, legationibus, bellis terra, marique fortiter geſtis & ſalutari interventu in componendis principum litibus juſta proſtant commentaria. Hoc autem in fœdere, Civitas Dantiſcana non poſtremum locum etiamnum tenet, reputata inter Cardinales, ſive Metropolitanas, quæ cæterarum Nationum, in quatuor claſſes diſtinctarum, capita exiſtunt. Sic etiam in vegeto, & quieto uſu recipiendorum exterorum principum, & Rerumpubl. Legatorum, ſuorumque expediendorum, tractandique de rebus, fundamentali juri ſtatus ſui convenientibus, non uno tantum ſeculo divina clementia perſtitit. Quod jus tantum abeſt, ut ſuperiores Reges Poloniæ, perinclytæ memoriæ, in dubium vocaverint,

Commoda ad Remp. Polon. ex converſatione civitatis cum aliis gentibus redundantia.

rint, & etiam nonnunquam ex ipſorum inſtinctu, & monitu hujuſmodi legationes à Civitate maturatæ fuerint. Verum hæc jura neceſſitudinis, & bonæ affe-ctionis, à Civitate Dantiſcana ſtudiosè culta, ex uſu fuiſſe Regni Poloniç, non minus conſpicuis argumen-tis doceri poteſt. Fædus illud, quod hæc Civitas cum cæteris Magnatibus, & oppidis Prutenicis paulo ante excuſſum jugum Crucigerorum contraxit, præci-puum momentum addidit poſtea debellati Ordinis, & factæ combinationis Pruſſiæ, cum Regno Polo-niæ. Præterea negari nequit, magnam partem Opu-lentiæ, paſſim inter proceres Regni coruſcantis, alia-rumque rerum ad bene, beateque tranſigendam vi-tam neceſſariarum copiam dependere, & derivari in Poloniam à flore commerciorum, cum tranſmarinis gentibus, in urbe Dantiſcana frequentatorum. At im-poſſibile eſt majorum commerciorum curſum, ad diverſa climata mundi porrectum, ſine mutua, & comi converſatione tam ſingulorum, quam etiam publicorum ſtatuum, quorum ad incrementum pri-vatorum hominum proſperæ negotiationes ſpectant, fauſtum & optatum tenere. Vlterius quoq; inſignis ejus uſus cernitur, quod tempore periculi bellici, & inopinati impetus, quales, ut plurimum expeditiones claſſicæ, è longinquo imminentes ſolent eſſe, amico-rum, & mutuis humanitatis officiis correſponden-

tium

tium populorum favore & ope, quædam neceſſaria belli ſubinde comparata ſint, quorum perutili ſubminiſtratione Civitas Dantiſcana limitem Reip. ab hoſtili invaſione, non minus evidenti Regni Polonici emolumento, quam ſingulari ſua laude nuper adhuc pro virili, plena fide vindicavit. At hoc eſt forte quod nollent adverſarii. Verentes ne hęc officioſa adminicula, per abuſum vertantur aliquando in perniciem Reipubl. vel potius, ſi ſecreta illorum palam efferre liceat, ne hæc ipſa ſuis ſupprimendæ veteris in hac Vrbe libertatis obſint conſiliis. Hunc fucum ut præſentes Optimates Regni, priſcis illis Uliſſibus, & Hectoribus, tam ſublimi judicio, quam generoſa virtute pares, tum & Rex ipſe verè Magnanimus Heros, in malevolis & adverſariis Civitatis tanto magis deteſtentur, tria ſaltem hoc loco adducam argumenta, quæ Dantiſcanorum fidem Regi, & Reipubl. debitam, quantum eſt in humanis rebus certitudinis infallibiliter aſſerant. Prius deſumptum eſt, ex prælerlapſorum temporum hiſtoriâ, quæ naturalem indolem, & genuinos hujus populi mores, ſatis & ſufficienter exprimere valet. Parum abeſt quin ducenti numerentur anni à prima conſolidatione Pruſſiæ, cum Republ Polonâ. Hoc integro tempore durante, acta Civitatis cum peregrinis populis nihil vicii habuêre, nec quicquam noxium Regno Poloniæ, aut

infeſtum ſacramento ſubjectionis, quo Regibus Poloniæ ad Civile obſequium obſtricta fuit. Aſſeverari nempe de eâ verè poteſt, quod non tantùm ad ſocietates captandas minimè ſit prona, ſed in hoc mediocri libertatis ſuæ ſtatu, abhorreat à ſpecialibus pactis arctioris neceſſitudinis cum ullâ gente. Idem enim ſenſit, quod de VVolfgango Comite Palatino Chytræus quodam loco refert: juſta, & neceſſaria modeſte agentibus Deum ipſum confœderatum exiſtere: Et in fœderibus, quod eſt Principis Electoris Friderici Saxonis effatum, plerumque alienorum erratorum pænas eſſe luendas. Alterum fluit ex principiis fidei religioſæ, quam major, & præcipua pars Incolarum hujus Vrbis, firmo cordis & oris aſſenſu publicè profitetur. Nec enim ulla ex diſcurſu rationis, à Philoſophis, aut etiam aliunde per hæreticos prolata dogmata, de autoritate Magiſtratus, & ſubditorum fide Regibus & principibus populi præſtanda, tanti ſunt ponderis, candoris, & efficaciæ, quam quæ divina ſcriptura in Prophetarum, & Apoſtolorum canonicis libris, fidelibus Eccleſiæ membris exhibet. Hæc autem ſuperioribus aliquot ſeculis minus commendata, vel etiam ſtudiosè ineptis quorundam commentationibus obſcurata, noviſſimo hoc ſeculo inter alia præcipua Chriſtianæ Religionis axiomata, admirandi viri Martini Lutheri, & ſucceſſo-

cessorum ejus divino studio repurgata sunt, amplissimisque præceptis, sacris fontibus conformibus, utiliter illustrata, ut iis hoc nomine universus ordo politicus ad singularem gratitudinem perpetuo obstrictus hæreat. His præceptis pueri, ab uberibus Matrum fidei suæ dulcissima dogmata subinde inter domesticas operas cantillantium pendentes, imbuuntur: Eaque juvenes in scholis, cum cæteris elementis doctrinæ perfectius addiscunt, & viri, atque senes ex publicâ cathedrâ solennibus in concionibus sæpius repetita, probant, divinoque obsignante Numine, nunquam obliviscuntur. Tertium suggerit naturalis situs Vrbis, parandique victus ibidem ratio, & negotiationis Status, ut de mutatione præsentis suæ sortis cogitare nequeat, si saltem in eâ posthac, divino beneficio, citra vim, & invidiam malevolorum consistere sibi liceat. Est enim hoc proprium illarum Civitatum, ut Franciscus Guicciardinus annotavit in historiis, quod suis moribus, & Magistratibus gubernatæ, non tam Territorio amplificando, quam libertati suæ conservandæ studeant. Libertatem autem intellige, non à subjectione, sed quod ipsis beneficia majora, & privilegia, ab Imperatoribus, vel Regibus concessa sint eminentiora: Videlicet, ut leges, consuetudines, Iurisdictionem, Magistratus, Vectigalia (verba sunt Caroli Sigonii in libris de Regno Italiæ)

ſui ferme juris & arbitrii habeant: Adeoque ut Imperatorum, vel ſuorum Regum faſtigium libenter agnoſcunt, ita tributis ſe atteri, & violentia urgeri non patiuntur: quod retulit Andreas Alciatus in explicationibus legum Romanorum citante Beſoldo dicto loco.

De Danicis navibus in Reida Danis cara comparentibus et facto Danis canonum circa illum captum.

Poſtremò quod objicitur, Sereniſſimi Regis Daniæ miniſtros in Vrbem admiſſos, & humanius, quam fas fuit, tractatos fuiſſe, poſtquam novi Telonii marini exactores in mari removerant: de eo repetendum eſt, in juribus Civitatis diſertè comprehenſum eſſe, ut in qualibetcumque maritimâ expeditione, quæ prævio exacto conſilio pro re, & neceſſitate Reipub. ſtatuitur, æqua ſui ratio habeatur: quod in hoc caſu factum non erat. Deinde totum hoc inſtitutum privilegiis Civitatis diametraliter erat contrarium. Accedebat virulenta inſultatio Exactoris Regii, qui verbis & factis nullum inſolentiæ genus intentatum reliquit, quo ægrimonia afflictæ Civitatis ſtimularetur. His rebus in adverſis, cum nihil more Majorum, ſed ex abſolutæ poteſtatis plenitudine, de juribus ſuæ libertatis Civitas quicquid libuit, decerni videbat, confugit ſtatim ad præcipuum in hac miſeriâ humanâ præſidium, publicam nimirum devotionem, & invocationem Numinis divini, humanarum rerum actiones ſpeciali providentia liberrimè moderantis.

Nec

Nec frustra supplicatum fuit: cum statim Serenissimi Regis Daniæ animus, haud dubiè divinitùs motus, partem suæ classis ad portum Dantiscanum ablegaverit, & istius novi operis in mari continuationi modestè restiterit: comprehensis quidem, sed paulo post cum honore restitutis navibus Polonicis. Hic verò quid ageret innoxia Civitas, duos potentissimos inter Reges collocata? Num & alterum Mari irritaret, cum alterius in aulâ cuncta ferè experiebatur sibi infesta? Fecit igitur quod pietas, fides & naturalis ratio docuit: alterum, unicum in terris, Eumque, nisi obstaret malevolorum prævaricatio, clementissimum suum Dominum, humilimis precibus flectere studuit, ad æquanimitatem, veteremque impertiendam sibi gratiam: alterius vero classiarios, pacificè se gerentes, urbe excludendos haud censuit: recentis istius facti inter Reges amicos, minimè arbitra constituta. Quod verò additum est, Dantiscanos contrario navium apparatu hostilia machinatos esse, adversus naves Polonicas: si de inferendâ vi sensus est, perpetuæ suæ erga serenissimum Principem suum fidei, & reverentiæ testem habent conscientiam. At de illata vi propulsanda, suæque defendendæ libertatis contra Spiringios, & eorum complices, non existimo Viris ingenuis, ac melius se de Republ. Polonâ meritos esse, consciis, in justâ causâ animum, studiumque defuisse.

Articulus V. Discursus.

TElonia isthæc Marina, insignis Thesaurus Regni nostri, & Reip. erunt, qui quotidie augmentum sumet, & quotannis quindecim, usque ad octodecim centena millia florenorum Polonicalium, in pecuniâ numeratâ nobis inferet, anno uno plus, quam altero. Idcirco, si quando contingeret, uti quidem hactenus factum est, & omnibus momentis oculis nostris obversatur, ut à Turcis ex improviso, & summâ festinatione, vel alioquî ab aliis externis hostibus in Regno nostro obrueremur, vel tentaremur, magnos inde sumptus ejusmodi Telonia Marina suppeditabunt, tam de iis, quæ quotidie inferantur, quam etiam de pecuniis concreditis, quas urgente necessitate, desuper mutuo sumere possimus, easque in summâ ad aliquot centena millia; quod nobis nunquam deerit, quam diu ejusmodi Telonia Marina feliciter procedent, & in ordine conserventur. Et quidem dum nobis pecunia erit, nec militibus egebimus, sed quam ocyssime numerosissimum exercitum habebimus, quo hostibus nostris resistere eorumque incursiones in Regnum nostrum reprimere, & in maximum universæ Reip. bonum, atque quietem Regnum nostrum defendere poterimus: futurumque ne posthac amplius pecuniâ adeo indigeamus, quemadmodum hisce temporibus Status Regni hujus eget; sicque Regnum nostrum, ejusque fines sumptibus aliquot mille florenorum minoribus defendemus, quod postmodum multo Majoribus, ad multa

centena millia excurrentibus non perficiatur, ob moram in pecunia comportanda, quæ in incursionibus hostilibus maturè ad manus esse debeat.

Articulus VI. Discursus.

T*Unc non opus sit, tam diversa extraordinaria Comitia indicere, quibus brevi temporis spacio Regnum, & Respubl. multa centena millia in sumptus erogari, coacta sunt. Nam unicis in Comitiis plus sæpe consumimus, quàm in bonum publicum conferre constituerimus: hacque ratione fit, ut Comitiis frequentibus Regiones nostras, & nos ipsos exhauriamus per extraordinarias expensas, quas facere cogimur.*

Articulus VII. Discursus.

P*Ræmemorata Telonia Marina ordinarium subsidium erunt, ad quod perpetuò recurrere possimus. Nam quæcunque in Comitiis contribuere constituimus, tantum pro unâ vice constituuntur, cunctanterque inferuntur. & si quando nobis, uti supra dictum, aliquis hostis, inopinato superveniat, omnibus mediis pecuniariis destituimur, quibus nos, defendamus: sed Comitia indicere cogimur, ad quæ antequam convenimus, tres requiruntur Menses: Ipsa Comitia durant sex septimanas, & postea quatuor, quinque, vel sex abeunt menses, priusquam pecunia in Comitiis præfixa, inferatur. Quilibet Patriæ amans secum perpendere potest, quam ingens*

gens damnum nos ab hoſtibus noſtris ſuſtinere oporteat, priuſquam præmemoratam pecuniam conſequamur. Interea temporis hoſtis totum percurrit Regnum, & quæcunque vult, perpetrat.

Reſponſio ad Artic. V. VI. & VII. Diſcurſus.

NErvus totius Diſcurſus in his tribus articulis, conſiſtit duabus in propoſitionibus. Nempe, Illud quod eſt utile Reip. in ejus commodum vertendum eſſe. Telonium autem marinum per utile eſſe Reipubl. Major autem illa, ut cunque ex affectu Patriæ addicto promanaſſe videatur; ita tamen generaliter, & ſimpliciter accepta, vicioſiſſima eſt: Non magis opulentia, quam pietas, honeſtas, & Iuſtitia firmat regna. Quapropter corrigendum eſt illud principium & ab incommodis liberandum, hoc modo. Quicquid ita utile eſt Reip. ut non ſit ſimul iniquum, turpe, violentum, &c: illud in uſum & commodum Reip. vertendum eſt. Hac reſtrictione additâ, conceditur hæc præmiſſa, ſed ad propoſitum applicari nequit. Certis enim pactis, & privilegiis exempta eſt tam Vniverſa Pruſſia in genere, quam Civitas Dantiſcana in ſpecie, ut iis invitis novum telonium marinum in æquore Prutenico conſtitui non poſſit. Eaque pacta ſine violatione publicæ fidei, & diſſolutione

tione vinculi politici ipſius Status, per poteſtatem Ordinatam, qualis in Republ. Polonâ duntaxat obtinet, aboleri, mutari, aut reſtringi non poſſunt. Addendum etiam ad minoris propoſitionis declarationem, quod uti commercia, ita quoque telonia, cumprimis marina, certo reſpectu ſint juris gentium, & ſic ſimpliciter ex unius ſolius gentis uſu, atque commodo cum alterius injuriâ nequaquam determinanda veniant. Verum in materiâ tanti emolumenti, quantum hic repræſentat Diſcurſus, operæ precium eſt, ut energiam rei paulo curioſius diſcutiamus. Primò ſi ſimpliciter, quolibetcunque modo Reipub. ſubveniendum eſt, ſine conſideratione juris, privilegiorum, pactorum, libertatum, mutuæ ſocietatis, confraternitatis, & his ſimilibus civilis vitæ cautelis, ac reſpectibus, quidni paulatim ſub generali prætextu Rationis Status, & Vtilitatis publicæ pervenietur ad exactionem Centeſimarum, & Decimarum? qualem methodum, & doctrinam privilegiatos ſtatus, ac certo libertatis gradu in ſubjectionis fide comprehenſos populos, redigendi ſub merum abſolutæ poteſtatis arbitrium, Dux Albanus Ferdinandus Alvares de Toledo ſuo tempore magno quidem conatu ſed infelici ſucceſſu adornare cæpit. Deinde attendendum eſt, quid viri docti, in Republ. verſati, & ſingulari judicio politico præditi, de facultatibus proven-

regni Poloniæ iudicium. tuum Regni Poloniæ probabiliter ratiocinantur. Hos inter Ioannes Boterus Italus in deſcriptione Poloniæ ſic ſtatuit. Rex Poloniæ multo plus redituum haberet, ſi erga ſuos Palatinos, & Caſtellanos (Capitaneos vult dicere, dodrantem bonorum Regalium percipientes) tanta liberalitate non uteretur. Concedit enim eis ut plurimum duas partes tertias, & fere ſemper omnes reditus, quos in ipſorum gubernationibus habet. Et Iacobus Auguſtus Thuanus in libris hiſtoriarum ſui ſeculi ſcribit: Vilitas annonæ (puta in pleriſq; locis, fluminis uſum non habentibus) & Nobilitatis immunitates, & ſacri Ordinis inprimis, in cauſa ſunt, ut ampliſſimi Regni, quam vicinorum, cenſus ſit tenuior. Hæc proculdubio omnibus ſine vicio judicantibus, minimè falſa cauſa videbitur, defectus publicorum nervorum: quem emendare, & ſupplere facilimum eſſet, ſi modo fidem, & autoritatem jurium, & privilegiorum tam Sacri, quam Equeſtris Ordinis, fas eſſet floccipendere, & callidis cavillationibus evertere. Quidni enim proficeret Reipubl. & ad uſus neceſſarios abundè ſufficeret, ſi publicorum illorum redituum, quos ex bonis Eccleſiaſticis, & Regalibus, tam Sacri quam Equeſtris ordinis perſonis veteres leges attribuunt, ſemiſſis in theſaurum Regni inferretur, & de reliquis duobus quadrantibus, alter privato fiſco Regio, alter iis cederet, qui

nunc

nunc his beneficiis largius fruuntur. Etenim omnia commoda, quæ adducta ſunt in his Diſcurſus articulis perceptionem telonii comitantia, parem vigorem obtinent, in reductione proventuum bonorum Eccleſiaſticorum, & Regalium, ad præmemoratum uſum Reipubl. Nec plus rationis, vel autoritatis pro exemptione, aut privilegiatâ conditione Cleri, atque Nobilitatis circa conſervationem ſuorum jurium objici poteſt ſimili diſcurſui, prædictos ſacri, & Equeſtris Ordinis reditus Theſauro vindicanti, quam in diſputatione juris prutenici, ac Civitatis Dantiſcanæ, de communi immunitate à perferendo marino telonio, pervetuſtis pactis atque privilegiis firmata, in medium productum fuit. Plura ad uberiorem hujus thematis, & reliquarum in his articulis adductarum rerum enucleationem facientia, propter ſtudium verecundiæ non libuit annectere: De remediis enim, & veris modis corrigendi tam defectus quam exceſſus tam populoſorum Conventuum, quales ſunt Comitia Polonica non eſt privati hominis verba facere. Sufficit quod non conveniat veteres emendare errores, novis errorum accumulationibus, ſed aliis ſalutaribus mediis, quæ nullam reprehenſionem merentur.

Articulus VIII. Diſcurſus.

REipubl. Regni Poloniæ Dominio Maris in poſſeſſionem reddito, Maritimæ Civitates in Boruſſiâ Nobiles Poloniæ, & Lithuaniæ non eatenus enervarent, uti hactenus facere conſueverunt. Inprimis ſilentio præterire nequeo, cujuſmodi ſtratagemata Dantiſcani uſurpent, quo nos damno intolerabili afficiant. Nimirum quod veris initio, navigiis noſtris catervatim defluitantibus, tunc demum portorium multoties occludant, ſub hoc prætextu, ipſorum Civitatem prius variis frumentis, & penore inſtruendam eſſe; ſicque portorium diebus 10. 12. vel 14. & diutius tenent occluſum, priuſquam idem recludant. Interim primo vere quotidie in magnâ copiâ merces noſtræ defluunt, divendi tamen nequeunt. Quod directè cum pactis portorii, initis cum Stephano Rege pugnat, Portorium occludere non poſſe, ſine ſcitu, & voluntate S. R. M. Poloniæ.

Articulus IX. Diſcurſus.

CVmque nos Nobiles Polonici frumentum noſtrum primitus divendere potuiſſemus, quamlibet laſtam ſiliginis, nimirum, Centum & quadraginta florenis, quandoque pluris: diſtrahere tamen illud non permittimur, ſed ejuſdem venditionem, non abſque inſigni ſumptuum præjudicio noſtro, & erogatione, differre cogimur: quod cauſatur ipſorum

præ-

præmemoratus prætextus, quod Civitas ipſorum inprimis penore inſtruenda ſit. Ingentes tandem expenſæ quotidie factæ compellunt nos frumentum noſtrum non pluris divendere, quam quanti licitantur ipſi, nimirum laſtam 90. 95. & ad ſummum 100. florenis. Quibus nos nobiles, omneſque inhabitatores Regni jacturam patimur, non ſolùm ad mille, ſed ad multa centena millia florenorum.

Articulus X. Diſcurſus.

QVod Nos Nobiles precio tam vili, uti antea dictum nolentes, volentes vendere teneamur, inde fit, quod portorium, quemadmodum ſupra memoratum, tam diu occludant, nec rurſus aperire velint; & occluſo portorio, quoniam exteri Mercatores nullo modo à Civibus emere affectent, cum id exportare trans Mare nequeant. Cives, quibus frumentum noſtrum divendere tenemur, ſimiliter affecti, quia ipſi quoque à nobis emere nollent; quoniam Exteris revendere, ob occluſum portorium non poſſunt, donec animadvertunt, nos Nobiles adactos ob magnitudinem præfatarum expenſarum, viliori precio divendere frumentum; tunc paulatim accedunt, & frumentum à nobis emunt, eo precio, uti ipſis libet: poſtmodùm elapſo die uno atque altero, portorium recluditur; tandem Externi Mercatores accedentes conjunctim emunt à Civibus, & quanti indicant, tantidem ſolvere eos oportet. Quare quilibet Patriæ noſtræ amans, veruſ-

verusque Patriota, bene secum perpendant; qualis hæc practica sit, dum ruricolas & subditos nostros, magno labore & molestiâ compulimus ad defluitandum frumentum nostrum, ut Dantisci divenderetur, nos à civibus ibidem, ad modum prædictum, vexari, imò etiam ob acceptum damnum adhuc derideri.

Responsio ad Artic. VIII. IX. & X. Discursus.

IN his articulis Magistratus Civitatis Dantiscanæ arguitur doli, ac si occlusione portus, sub falso prætextu, facultatem adimeret Polonis, merces suas in Vrbem allatas, justo precio divendendi. Aucta est hæc suspicio ex ridiculo casu, quod quidam Iuniores, & rerum imperiti è Polonia Dantiscum profecti, contemplandi Maris causâ, ad ostium Vistulæ excurrerint, ibique inter alia nautica instrumenta ingentem ferream catenam, quæ belli tempore sub flumine ad præcavendam incursionem hostilis classis distendi solet, animadverterint. hinc postea suborta, & credita fabula est, Dantiscanos singulis annis, hâc catenâ, exclusas tenere peregrinas naves extra portum, usque dum de precio satis vili cum Polonis in distractione frumenti conventum fuerit. Verum quid, si respondeam, ad officium Magistratus pertinere, ne valor annonæ excedat æquum? Notum est, tam ex præscripto divino,

divino, quam humano, obnoxios fieri maledictioni, qui flagellant annonam. De juventute vero Dantiſcanâ operam mercaturæ navante, hoc conſtat, quod nimiâ cupiditate augendi patrimonii non expectet adventum Polonorum in Vrbem contrahendi cauſa, ſed longè lateque diſcurrat per Poloniam, ibique valorem frumenti pæmaturâ feſtinatione ſuâ ſolito majorem reddat: Deinde ſecundo flumine appellentium cymbarum præſentiam, nedum in conſtituto Vrbis loco præſtoletur, ſed uno, & altero extra urbem ſtadio iterum frequenti ſe numero objiciat adventantibus, ac quam primum poteſt, ſaltu ſe præcipitet in naviculas frumentarias, hunc in finem, ut alter alterum antevertat in contrahendo, & quod mirum auditu, revera tamen fit, ut præcaveat aliquando, ne minoris vendatur frumentum, quam ſibi commodum putat, cum habeat in granariis carius emptum, & decreſcente annonâ certum damnum incurrat. Hæc adeo manifeſta ſunt in Vrbe Dantiſcanâ, ut ipſe Magiſtratus intemperiem hominum publicis Edictis ſæpè numero conſtringere teneatur. Verum ut ex fundamento hac in re, de fide Magiſtratus dubitantibus ſatis fiat, notandum eſt, frumenti duplicem habendam eſſe conſiderationem. Vnam, quatenus eſt ſpecies ad annonam referenda: alteram, ut mercem in communi negotiatione verſantem. Quod priorem attinet,

De cura Magistratus Dantiscani in conservando annonam mediocri pretio

attinet, curandum eſt Magiſtratui, ne valor annonæ in Vrbe mercatorum arbitrio permittatur. Hunc in finem penu, ſive promptuarium conſtitutum eſt; publicoque in granario ingens acervus aliquot centenarum laſtarum conſervatur, ut inde ad quotidianum uſum Incolarum Vrbis, inprimis pauperum mediocri precio piſtoribus copia emendi præſtetur, quoties Mercatores jam emptum à Polonis frumentum, denuo majori, quam par eſt lucro, venum exponunt. Hoc nimirum frenum eſt, quo non Poloni, neque ulli peregrini, ſed domeſtici ſaltem in vrbe mercatores intra gyrum haud flagellandæ annonæ compeſcuntur. Altera ſpecies in libero verſatur commercio, nec ullam reſtrictionem præ aliis mercibus patitur. Fit autem aliquando, quod præcipiti mutatione auræ, citius opinione glacies in fluminibus & portu reſolvatur, & miniſtri expediendarum rationum portorii in ſubeundo computo unius, vel alterius diei moram inducant, quo minus fores Cameræ Portorii ſtatim pateant. Id ipſum tamen negotiantibus nihil adfert impedimenti in perficiendis contractibus, cum nihil dubii ſuperſit jam jam commeatum liberum futurum. Sed aliæ ſunt cauſæ variantis valoris in majus, vel minus: diverſa nimirum ſegetis conſtitutio in exteris regionibus, quæ aliquando in ubertate rerum ſufficiunt ſibi ad annonam, & aliis,

quod

quod abundat dilargiendum: Viciſſim in defectu ſecundùm majorem, minoremve penuriam, adæquato neceſſitati precio, copiam ſibi parant. Hoc cum maturè Dantiſcani literis correſpondentium è transmarinis locis intelligant, ex uſu rei de precio conveniunt, nec quidem cum Polonorum damno: dum ſpe futuri lucri adeò fervidi ſint in emendo, ut commodum corrivalibus ſuis prærepturi, ſolitam in licitando curam nequaquam adhibeant.

Articulus XI. Diſcurſus.

HVic rei ut mederi queamus, tria nobis ſunt neceſſaria. primò, ut Reſpubl. incepta Telonia Marina manu tenere, & continuare cogitet. 2. Vt recuperet, ſibique vendicet Dominium Maris, quod cum telonio Marino, quaſi concatenatum cohæret, unumque abſque altero conſiſtere nequit. 3. Ne Dantiſcani, cæterique Cives Maritimarum Civitatum in Pruſſiâ, negotiationem tam mercium advectarum, quàm evehendarum inter Nos Poloniæ & Lithuaniæ Nobiles & Exteros, ſive peregrinos Mercatores prohibeant; licet Dantiſcani, cæterarumque Civitatum in Boruſſiâ Cives objiciant, ſe ſuper hoc, antiquiſſima privilegia receptiſſimasque conſuetudines habere, abſque perpenſione, temporibus antiquis commercia in ejuſmodi frequentia non importata fuiſſe, in Civitates Maritimas, quam nunc importentur. Nam

temporibus antiquis quotannis Dantiscum viginti, vel triginta naves exigui momenti forte ingressæ sunt, ubi nunc quotannis naves sexcentæ, vel septingentæ, vel plures etiam ingrediuntur, quæ fermè centum, vel centum & quinquaginta lastas continent, & quod excurrit: sic ut commercia antiqua nullo modo comparari queant, cum commerciis horum temporum, ubi quotannis variæ merces preciosæ ex Regno Poloniæ, & Magno Ducatu Lithuaniæ, in Maritimas Civitates devehuntur, uti nec similiter etiam ingenti copiâ mercium peregrinarum, quæ ex aliis regionibus è contra in Civitates Maritimas navibus importantur.

Responsio ad Articulum XI. Discursus.

De proposito fine, & abusu hujus telonii, in mente procul dubio Malevolorum, contra scopum Regis, & Reipub. Polonæ concepto, dicetur inferius. Nunc saltem paucis attingamus, quod Discursus Civitatem Dantiscanam existimat privandam jure, quo immediatè commerciorum tractatio cum exteris in Vrbe, solis Civibus vindicatur. Hoc privilegium, ut evertat, niti vult conniventiâ veterum, propter exiguum negotiationis usum in ea urbe, libertatis suæ minus curiosorum. Sed (ut utar propriis principiis Discursus) quærendum est, quid illis veteribus autoritatis fuit in populum alienâ in ditione consti-

constitutum ? Usi sunt enim Dantiscani hoc jure, more & consuetudine veterrimâ primariarum Germanicarum Civitatum, antequam urbs concessit in unum corpus cum Republ. Polona. Concessit autem juribus, & consuetudinibus suis antiquis salvis, & inviolabiliter servandis. Deinde error est, & inscitia rerum superiori ævo gestarum, quod de veteri statu navigationis narratur. Memorant enim temporis istius annales, una quandoque die ultra centum ad portum Vrbis appulisse naves. Et reverâ nullâ ratione comparandus est modernus negotiationis successus, cum præterito avorum memoriâ vigente. Nec enim quicquam ferè restat illîc hoc temporis permutandum, præter siliginis copiam, cum antea floreret ibidem commercium variarum rerum, diversis ex causis alibi nunc constitutum: Ita ut laudatissima Resp. Polona ritè, rectèque faceret, per antidora ad id obligata, si promovendis Vrbis rebus in conservandâ, & augendâ mercaturâ paulò majorem favorem accommodaret.

Articulus XII. Discursus.

GEdanenses, cæterarumque Civitatum ad mare sitarum incolæ, quoniam plurima referre sciunt de antiquissimis, imò obsoletis consuetudinibus suis, pauca quoque de iisdem commemorabo. Quemadmodum temporibus antiquis,

pro ut loquuntur, Consules Gedanenses, uti etiam Cives primarii consueverunt incedere vestiti panno meliori, frugaliterque vixerunt: Nunc verò consuetudinem istam antiquissimam hoc casu jam obliti, dum plerique omnes non aliter, quam vestibus bombicinis & holosericis induuntur, vivuntque opiparè. Et quando temporibus antiquis Proconsul, aut Senatorum quispiam alius opulentus decedebant, relinquebant hæreditatem decem, duodecim, aut viginti millium florenorum; hoc verò tempore, mortuo Proconsule, aut alio quopiam Senatorum divite, relinquitur hæreditas trium, quatuor, vel quinque tonnarum auri, quod certè ab antiquissimis illorum consuetudinibus differt, maximéque discrepat. Non est sanè ut miretur quispiam: nam omnia hæc, & longè plura nobis extorquent, idque antiquissimis (rancidis) suis inconvenientibus consuetudinibus, quas diuturnitate temporis, usque adhuc, magis ac magis introduxerunt.

Responsio ad Articulum XII. Discursus.

NIHIL est in hoc articulo, quod principali themati Discursus, ejusque gravitati, verbis & rebus corresponderet: nec dubitandum est Autorem discursus passum esse aliquid humani, cum ad has nugas animum applicuit. Quid enim facilius esset, quam hoc loco, non dicam apologiam, sed Satyram de solitâ magnificentiâ Polonicâ reponere? Cromerus

rus ubi de moribus Polonorum agit, inter alia hæc addit: Lautitia in victu, potuque magis, ac magis indies inoleſcit. In cultu quoque corporis, veſtiumq; numero, varietate, ac precio major luxus exiſtit. Nec ſolum exoticis pannis, & pellibus, verùm etiam ſerico & purpurâ veſtiri, & argento, auro, margaritis, gemmis exornari mos inolevit, inferioribus quibuſque præſtantium genere, honore, & facultatibus exempla cupidè amplectentibus: Nullis autem legibus ſumptuariis modum in victu, cultuque corporis cuiquam ordini, aut homini præſcribentibus. Hæc ille. At ego, nihil ejus generis de luxu præſentis temporis admiſcens, ad inſtitutum revertar. Quod itaque veſtitum Dantiſcanorum attinet, ſi excipias laſcivientem aliquo modo pubem utriuſque ſexus, is hactenus infra modum fortunæ Civitatis fuit. Nam tanti virtus, & dignitas iſtius populi à priſcis Regibus, honorem & præmia fidelibus ſubditis, ſecundùm merita conferentibus, habita & æſtimata fuit, ut per ſingulare Diploma Magiſtratui Civitatis, inter ornamenta corporis, auri puri copiam decreverint. Qualis honor, juxta vetuſtiſſimum morem omnium ferè gentium, proceribus tantum & Amicis Regum proprius judicatus fuit. Attamen moderata Dantiſcanorum indoles, & inprimis conſpicua continentia Magiſtratus magis exemplo, quam lege aliquâ ſum-

Magistrati Dan-
tiscano inter
ornamenta
corporis, auri
puri copiam
honoris cā à
Regibq decre-
tam.

ptuaria cives ad frugalitatem inducentis, auro potius in amplificando commerciorum Statu, quam adornando corporis cultu uſa, nihil ſanè hac in re aliis ſcandalo fuit, aut fingendis ſarcaſmis materiam præbuit. Hoc vero malevoli ne neſciant, in Dantiſcanorum Civium numero contineri Nobiles familias, quarum Majores rexerunt Eccleſias, geſſerunt Magiſtratus majores, duxerunt exercitus, Regum ac principum Conſiliis aſſederunt; pace denique ac bello per aliquot centenos annos famam factis egregiis, rem autem familiarem liberalibus artibus amplificatam, ad poſteros transmiſerunt. Horum ſoboles, à Majorum tramite haud longè declinans, & intra pacati Status legitimos vocationis terminos, civili modeſtiâ conſiſtens, quid ni filo ſerico, & juxta climatis rationem, pellibus etiam melioribus veſtiretur? Neque futilis eſt exprobratio majoris cenſus quorundam in Vrbe. Nec olim tam anguſtus fuit ditioribus patrimonii computus, quin ad quinquaginta, ſexaginta, ſeptuaginta, vel centum etiam florenorum, aut marcarum millia perveniſſet. Quo tempore viginti millium ſubſtantia potior fuit modernorum centum millium: ſiquidem in qualitate maſſæ recens moneta prutenica, triplo levior ſit veteri, & ipſa materia, poſt detectas Americanas regiones, duplo nunc ſit copioſior in Europa, quam olim fuit. Conſulum

Præſtantia aliquot familiarum in urbe Dantiſcana.

verò

verò quid juvat excutere facultates ? cum nihil vicii in illis demonſtrari poſſit. ſunt in eo numero quibus largior, quibus etiam tenuior eſt domi familiaris cenſus. Licet enim parvo quoque honeſtum eſſe: & apparatu magno, citra jacturam famæ, ſi cætera ſunt paria, in Vrbe vivere. Atrox autem contumelia eſt, divinam benedictionem fraudibus mercaturæ aſſimilare. Superfluum frumentum è Poloniâ allatum, venditur in Vrbe juxta negotiationis curſum, æquo precio: & viciſſim aurum, ac argentum, tum vina, aromata, precioſi panni, & id genus alia inde comparata, in Poloniam cumulatim revehuntur. Hîc nulla extorſio. Rem verò à Polonis emptam Dantiſcani aliquando pluris, ſæpè etiam multò minoris transmarinis vendunt: pro ut commerciorum Status variis mutationibus, incrementis, & decrementis eſt obnoxius. Hic iterum nihil iniqui: niſi Dantiſcanos noctu, diuque, terra, marique, ingenio, manibus, pedibuſque fruſtrà velis occupatos, & famam atque valetudinem in periculoſa negotiatione, ſine omni operæ precio, periclitari. Sed plus acquireretur, inquis, à Polonis, ſi cum exteris immediatè contraherent. Id verò certum eſſe nego: imò multò frequentius minoris venditum iri frumentum aſſero, ceſſante tum fervore Dantiſcanorum in illo coëmendo, tum eorundem ſtudio, ſtatum frumentationis

in

in transmarinis regionibus maturè perveſtigandi. Nec enim putandum eſt, cum gentibus exercitatiſſimis in mercaturâ, tum admodum verſutis, ſine ſingulari peritiâ, longo uſu comparata, commerciorum negotium tractari. Et ipſis quidem Dantiſcanis, vitam ferè omnem in ſcrutando artis mercatoriæ ſecreto conſumentibus, adeò nihil admodum abundat cerebri, quin ſæpiùs adhuc errorum ſuorum damna tacitè lugeant. Verùm alia ſunt mediocrium patrimoniorum in Vrbe Dantiſcana, tam comparandorum, quàm conſervandorum, duo inprimis veneranda arcana: videlicet Induſtria, & Parſimonia: Quibus ſi accedat divini Numinis Benedictio, non deerit, unde contra invidorum vota poſthac quoque ſibi ſuiſque neceſſaria vitæ adminicula ſuggerere poterunt.

Industriam et parsimoniam civium ee causam mediocrium opum in urbe Dantiscana.

Articulus XIII Diſcurſus.

QVando tempore verno frumentum ejuſmodi, præfatâ Dantiſcanâ practicâ, ſive aſtutiâ, tam vili precio divendi cæptum, in æſtate poſtmodum ægrè pluris venit: idque præcipuè eam ob cauſam, quod in æſtate ſolis ob æſtum, frumentum non ita opportunè aliò trans mare mittatur, uti quidem vere & autumno fieri poteſt: quippe Solis calore frumentum navigando quaſi ferveſcit, atque in navibus corrumpitur.

Arti-

Articulus XIV. Discursus.

PRæterea nos Nobiles Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuaniæ, haud minori afficimur damno, in præfatis maritimis Civitatibus, iniquâ admensione, appensione & censurâ, vulgò Bracken, *mercium nostrarum; nam viri, quibus dictarum Civitatum Senatus admetiendi, appendendi & censendi (*Bracken*) munus commisit, manifestè quærunt, quæ in rem civium sunt: quæ ita intelligenda sunt, nimirum, quod admetiri, appendere, & censere (*Bracken*) teneantur sic, quò Civis lucrum inde suum exinde capiat: Hujusmodi lucrum certè non est exilis momenti; nam sæpius inde, 4. 6. 8. decem, quandoque etiam plus pro centum acquirunt; quod, verè dicendo, venditori iniquissimo modo detrahitur, sicque emptor aliorum damno locupletatur. Quod ex admensione, appensione, & censurâ mercium nostrarum proveniens lucrum, non semper conveniat, sed quandoque differat; Inde hoc exsurgit, quod quidam Civium Admensores, Appensores & Censores (*Bracker*) magis corrumpant, quam cæteri; omnia inde proveniunt, ut dictum supra, quod nos Nobiles Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuaniæ omnes nostras in Civitates Maritimas Borussiæ invectas merces, earundem Civibus solis divendere teneamur.*

Reſponſio ad Artic. XIII. & XIV. Diſcurſus.

PLENVS acerbitatis Autor, ut eos, quos vehementer odit, apud alios etiam quoquomodo odioſos reddat, vix diſcurſum ſuum moderare poteſt, quin æſtus, & tempeſtatis diſpoſitionem, voto ſuo, ad augendum frumenti valorem minus aliquando commodam, Dantiſcanorum criminibus adſcribere auſit. Diuturnâ ſanè obſervatione, ex probabilibus phyſicis rationibus, ventorum, & imbrium viciſſitudines, directioni negotiationis in illo loco nonnihil inſervientes, quandoque augurare ſolent, aſt operationibus aſtrorum, & ordini Naturæ in diſtinguendis diverſis anni tempeſtatibus, modum ſtatuere, non eſt in poteſtate nec Magiſtratus, nec Civium Dantiſcanorum. Veruntamen vix ullo etiam æſtatis tempore ceſſat in Mari Baltico navigatio: & perdurantis aliquandiu in eodem Statu valoris frumenti ratio eſt, quod initio veris primâ frumentariæ claſſis expeditione tantum fermè exportetur, quantum ſatis eſt ad ſublevationem annonæ in locis exteris. Pretium autem florenorum centum pro unâ laſtâ ſiliginis, qualis animi eſt, vile cenſere? cum olim decem, quindecim, vel forte viginti marcis prutenicis quaſi communiter diſtraheretur. Majoris verò momenti, & revera deteſtanda res eſt,

quæ de corruptâ menſurâ, vicioque cenſuræ in illâ ſpecie, quam vocant Braken/ Autor adduxit. Hactenus verum ſcribit, has fraudes in mercaturâ Dantiſci deprehendi. At inde bona conſequentia non infertur, privandos eſſe ideo Dantiſcanos jure libertatis, Statum eorum mutandum, & Cœlum terrâ miſcendum. Judicandum enim eſt de civilibus actionibus, ex qualitate, & circumſtantiis rei. Tum item de ſubjecto non plus exigendum, quam ejus fert Natura. Hoc ut rectè intelligatur, paucis declarandum venit. Nam indoles mercaturæ hæc eſt, quam indicat Syracides, quod multis, mirisque fraudibus ſit obnoxia. Et iſta circumventio, quam inter contrahentes naturaliter licitam eſſe, Romani Juris-conſulti largiuntur, tam parùm abeſt à vicio, ut difficile ſit rectum in eâ tenere modum. Interim ob defectus, & abuſum rei, res ipſa, & uſus ejus ex humanâ ſocietate proſcribi nequit. Finis eſt legum omnium, ut in univerſali depravatione humanæ Naturæ per eas homines in officio retineantur. Et ideò pœnæ in Rebuſp. ubique conſtitutæ ſunt, quibus lubrica ingenia à ſectandis improbis ſtudiis deterreantur: tum in noxâ deprehenſa, ſecundùm qualitatem delicti errores luant. Hoc ordine quando juxta Juſtitiæ præſcriptum humanis viciis occurritur, Magiſtratus officium faciens, & ipſa Communitas hujuſmodi ſcelera

Quale vigeat in urbe Dantiscani vitium corrumpenda mensura et qualis coërcitio contra falsarios ibidem sit in usu.

aversata, minimè criminanda, sed potius Natura, quoties subinde damnati hujusmodi facinoris reus unus, & alter agitur, deploranda est, nihil perfectum, & omnibus numeris absolutum in theatro politico exhibens. Ad hunc modum in Vrbe Dantiscanâ non semel tantum Edicta publicata sunt, quibus Dardanariis pœnæ decretæ, civibus quidem, fidem mensorum promissis, & largitionibus corrumpentibus, privatio juris Civitatis, & arbitraria mulcta; Mensoribus fallentibus relegatio, fustigatio, vel gravius etiam supplicium. Præterea fides illorum stricto juramento coarctata est, & duplicatum salarium, quo minus per egestatem ad id flagitium præcipitentur. Adhæc cuivis è populo, ut in publico delicto, delatio mandata. Nec mora, vel defectus in executione, cum etiam haud ita pridem manipulus horum falsariorum in judicio legitimè convictus, ad sordes Vrbis, ferreis in vinculis expurgandas damnatus, per integrum annum tetrum spectaculum præbuerit. Non itaque mos, vel jus aliquod præscriptum in Vrbe viget, quod utilitati Civium in committenda fraude, & subornandis falsis ponderibus vel mensuris patrocinetur: sed hoc est Statutum publicum, divino & humano jure suffultum, ut unus, idemq; modius, unum pondus, una ulna, mensura, statera tam peregrino, quam inquilino, sive Civi, sive advenæ, seu hospiti,

Latino,

Latino, Græco, & Hebræo in contractibus & permutationibus ſerviat, ac fides ubique ab omnibus ſummo ſtudio præſtetur intemeratè. Verùm ab ipſis adminiſtris, & diſpoſitoribus publicis Cenſuræ (vulgò Die Brakerß) aliquid falſi commiſſum eſſe hactenus compertum non eſt: ſed in eo hæret fortè non à verò prorſus aliena ſuſpicio; latere quoſdam falſarios in Vrbe, qui clàm imitentur publica ſignacula Cenſorum, & ritè ſuas in ſortes diſtinctas merces occultè corrumpant. Quod ſcelus non erit impunitum, cum de autoribus conſtiterit. Id verò ſi non ſatisfaciat Diſcurſus Autori, eat ſpectatum per reliquas Orbis regiones commerciorum exercitia, & poſtquam nullibi gentium humanas actiones ab omni parte irreprehenſibiles viderit, ceſſet mirari, & indignari, homines in ſolâ Pruſſiâ univerſaliter omnes haud exiſtere tetragonos.

Articulus XV. Diſcurſus.

NEgotiatio in Civitatibus Maritimis non eſt libera, ſed coacta, licet in Poloniâ omnes liberi ſumus; Hac verò negotiatione, noſtrâ, Reipublicæque plurimum intereſt, totumque Regnum concernit; liberi non ſumus, ſed coacti, idque maximo damno, atque præjudicio noſtro. Quâ verò, ratione, in negotiatione coactio procedat, paucis ſignificabo.

ficabo. Appellentibus enim Dantiſcum, vel Regiomontum, cum mercibus noſtris, nulli Mercatorum Exterorum permittitur ad nos accedere, & merces noſtras ex aquâ ibidem emere, quo nos Nobiles Poloniæ, & Lithuaniæ premunt, & cogunt merces noſtras Civibus ſuis ejuſmodi vili precio divendere, uti ipſis placuerit. Et priuſquam etiam Cives merces noſtras emunt, ſæpiſſimè eaſdem merces Mercatoribus Exteris jam revendiderunt multò pluris. Atque in hunc modum iniquiſſimos quæſtus faciunt cives præmemorati: Primò ex appenſione, admenſione, & cenſurâ. Secundò ex valore mercium. Tertiò, Compellimur merces ſubinde noſtras divendere, & ſolutionem ab illis, poſt tres, quatuor, vel ſex menſes demum repetere, licet ſolutionem ab Exteris Mercatoribus in numeratâ pecuniâ, acceperint: quapropter dico, quod qui aliâs inſcribimur, Natio Libera, à maritimis Civitatibus, ſubditis noſtris, nos cogi, premique permittamus: Quo dictæ Maritimæ Civitates Spiritus ſibi ſumunt, atque inſoleſcunt, ut illa, quæ in publicis Comitiis, de telonio Marino, unanimi conſenſu, conſtituimus, manifeſtè impugnare audeant.

Reſponſio ad Articulum XV. Diſcurſus.

HOc loco denuò neceſſitas imponitur, pauca quædam in medium proferendi, de libertatis, & ſubjectionis Statu, in Regno Poloniæ. Sanè Staniſlaus

nislaus Krzistanovicius in descriptione Status Poloniæ, tantæ, quanta nunc est, & quidem æquabilis libertatis formam potissimum in eo constituit, quod Equestris Ordo æquo jure, & ad capessendos honores, & ad liberam novi Regis Electionem pertineat. Autor verò Discursus puerili fallaciâ indefinitam licentiæ vim quidvis audendi, nulla pactorum, conventionum, & jurisjurandi habitâ religione, civilis, & Christianæ Libertatis complexu vult comprehensam. Hic si de factâ sibi injuriâ proclamet, audiat quæso id, quod de conjunctione Prussiæ, cum Republ. Polonâ publica monumenta testantur. Regia Prussia, ex quo à Crucigerorum imperio ad Polonum nomen, (undè ferè, ut Cromerus existimat, detracta erat) ante centum, (vel ducentos annos) sese recepit, recepta ea quidem est à Polonis in societatem juris, & Reipubl. sed leges tamen suas & instituta à Teuthonibus ferè hausta, vel post subactos, & fermè extirpatos priscos, & barbaros Prussos, deductione Coloniarum è Germaniâ importata, retinuit. Hæc Cromeri verba, in plerisque cum solennibus Regiis Diplomatibus Status Prutenici conveniunt. Idemque Cromerus alibi Jusjurandum, à novo Rege præstandum, in hanc refert sententiam: Quod secundum leges, & Statuta Majorum regnaturus sit, & suum cuique Ordini, & homini jus, privilegiumque, &

benefi-

beneficium à prioribus Regibus collatum salvum sit conservaturus. Hic verò Autor, ut Ordinis sui libertati ex animi sententiâ consulat, quo minus Prutenis prisca jura in conjunctione cum Republ. disertè reservata, & Regio juramento multoties corroborata, hactenus sublata sint, acerbè dolet, & tanquam rem minimè ferendam, atque cum libertatis Statu in Poloniâ extremè pugnantem, quantocius exterminatam cupit. Sic sui solius causa existimat constitutum Regnum, nec intelligit, plura esse Reipubl. membra, quibus ex æquo distributa libertas, singulis sua portio, secundum proportionem Status concedenda, & sanctè conservanda est. In liberâ Republ. perillustris Equestris Ordo, jure, meritoque suo liber statuitur. Sed & Ordo Ecclesiasticus liber est. Et Civitates liberæ sunt, maximè in Prussiâ, præcipuè quæ dicuntur Majores, & primariæ: quibus & jus est capessendi Majores honores, & suffragium liberum in electione Regum. Quemadmodum itaque Equestris Ordo ob id, quod in provinciis Germaniæ, vel Daniæ, vel Succiæ in contractibus, & commerciorum usu, istorum locorum Statutis, & consuetudinibus conformare se teneatur, nihil de libertate sibi decedere statuit, ita quoque in Terris Prussiæ, si quæ sint, quæ Status istius populi, in primævâ conjunctione suâ cum Republ. Polonâ, peculiariter

exce-

exceperint, sive ut jus personale sibi reservaverint, & populum Polonum participem ejus facere noluerint, ea libertatis suæ juribus Nobilitas Polona non potest opponere. Quandoquidem hæc libertatis forma finibus Regni Poloniæ, & eatenus duntaxat cæterorum in communionem Reipubl. Polonæ receptorum populorum territoriis terminata est, quatenus hi populi Status sui jura olim communicare voluerunt. In eis enim, quæ non sunt communicata, nullum jus est populo Polono in rebus Prutenorum. Nec dubium est, ita societatem iniri posse, ut sociorum quædam res extra communionem societatis constitutæ sint: Qualia sunt illa jura existimanda, quæ ob meritum, vel ex speciali conventione alicujus Status, vel personæ sunt propria: Eaque ex communi societatis lege dijudicare, & de iis contra legem contractus per vim participare velle, absurdum æque, ac injustum est. Porrò subditus est is, qui jurisdictioni subest: Et jurisdictio dicitur, potestas statuendi aliquid, de negotio, Civili, vel Criminali. Hinc Prussia, licet eodem cum Polonis Regno contineatur, tamen quia peculiare consilium publicum, peculiares leges, peculiaria judicia, & comitia, ærariumque & belli gerendi rationem à reliquâ Poloniâ diversam habuit antiquitus: Hoc est, peculiarem rationem Status obtineat, & jurisdictioni Statuum Reip. Polonæ sim-

pirationem

pliciter non ſubſit: Sed quatenus Status Prutenici, ſucceſſu temporis, ad conſilium, & Senatum Regni certo modo acceſſerunt, legumq; in Comitiis Regni Generalibus conſtitutarum, ipſimet cum cæteris Statibus Regni pari autoritate Conditores exiſtant: Ideo Status Prutenici Statuum Regni Poloniæ propriè ſic dictorum, non ſunt ſubditi, ſed membra unius Reip. certo libertatis jure in unum corpus colligata. Jam verò Senatus in Pruſſiâ conſtat duobus Epiſcopis, tribus Palatinis, tribus Caſtellanis, tribus Succamerariis, & tribus primariis Civitatibus. Hoc eſt Conſilium Status Prutenicum, Conſiliarios Terrarum Pruſſiæ vocant. Earundemq; Civitatum in numero Dantiſcana, etiamſi ratione Ordinis ſui Palatinatus poſtrema ſit, maximè tamen eſt conſpicua. Adeoque, citra derogationem ſummi reſpectus Illuſtriſſimis Regni Poloniæ Statibus debiti, populus Dantiſcanus, quatenus per ſuos Deputatus in Conſilio Status Prutenici, Conſiliarii locum ſuſtinet, & ad conſilium pertinet, ſubditus Ordinis Equeſtris in Poloniâ nimis abuſivè dicitur.

Quod poſtremò in hoc articulo reliquum eſt, de dilatione ſolutionis conventi precii, & præpoſteris venditionibus, facile dilui poteſt. Non eſt ita ſordida, & manca mercaturæ ratio in Vrbe Dantiſcanâ, qualem autor depingit. Sed hoc aliquando contingit,

git, quod miniſtri Polonorum, divendendo frumento præpoſiti, cupediis, & largiori vini præſentatione ab impoſtoribus nonnullis ineſcati, propriæ gulæ potius, quam Dominorum ſuorum commodum reſpiciant, & ita circumventi mala nomina contrahant, cum aliàs, ſi velint, purè convenire, ac paratam pecuniam à melioris conditionis viris, quorum, divina gratia, non adeò conciſus eſt in Vrbe numerus, ſine morâ recipere poſſint.

Articulus XVI. Diſcurſus.

MErces noſtras à nobis, tam Poloniæ, quam Lithuaniæ Nobilibus, in Boruſſiæ Civitates Maritimas diductas, ibidemque Civibus divenditas, earundem Civitatum Senatus, Dacia, aliisque oneribus aggravant, priuſquam eaſdem exportari trans Mare permittunt. Similiter quoque Merces omnes per Mare importatas, ut Vinum, pannum, haleces, aromata, & id genus alias merces exoticas, onerant Daciâ, pecuniis Cameræ, accisâ. Inſuperque omnia illa, quæ modo noctu ſomniat Dantiſcum, cæteræque Mari contiguæ Civitates, de die exigunt de mercibus præmemoratis, ſine ſcitu atque conſenſu Reip. Polonæ: quæ certè majus quid conficiunt, quam inſtituta telonia Marina. Hæc ſatis diu jam uſurparunt: quam tempus nunc eſt, ut oculos noſtros aperientes, non diutius nos, à Subditis noſtris, in eundem modum circumducere ſinamus.

Reſponſio ad Articulum XVI. Diſcurſus.

IN hoc articulo accuſatur Magiſtratus injuſtæ exactionis, quam Daciam vocat autor Diſcurſus: Intelligit autem Collationem Civicam, Germanicè die Zulage dictam. De eâ ſæpè citatus Cromerus, diligens rerum Polonicarum ſcriptor, hoc refert: Magiſtratus primariarum Civitatum non raro imperant Civibus ſuis tributum peculiare, & operas, aliaque onera, in uſus publicos Vrbium ſuarum, adhibitis capitibus plebis. Et hæc narratio fundata eſt, in antiquo privilegio Caſimiriano Civitatis, quod plenam regiam (hoc eſt, nullius ob id reddundæ rationi obnoxiam) poteſtatem eidem tribuit, collectas de omnibus rebus & mercimoniis intra Civitatem pro temporis rerumque exigentia & beneplacito ſuo imponendi ac deponendi. De jure itaque, facultate, & poſſeſſione Collectæ conſtat. Dicendum eſt ſaltem breviter, de modo, uſu, proprietate, fine, & æquitate ejuſdem. Sunt autem Civitatis reditus quidam certi, & ordinarii ex inſulis, & aliis in continenti ſitis fundis, ac poſſeſſionibus, portorio, molendinis, & hujuſmodi ſimilibus rebus provenientes: qui viciſſim in conſervatione portus, reparandis variis Vrbis ædificiis, perſolvendis ſalariis eorum, quorum in publico neceſſaria eſt opera, expediendis ſumptibus itinerum, com-

munis

Quae sit ratio inducendae collectae subsidiariae (vulgò Zulage) in urbe Dantiscana.

munis boni procurandi cauſa ſuſceptorum, dirigendis proceſſibus, tuendis juribus Civitatis, & id genus aliis conſumuntur, paremque ferè cum conſuetis expenſis annuis proportionem obtinent. Hi ſunt in adminiſtratione Senatus, & nullam hoc tempore controverſiam patiuntur. Verùm emergentibus ſubindè caſibus bellorum, vel majoribus viſtulæ exundationibus, aggerum ſtructuras, ad cogendum flumen, in uberiorem uſum portus conditas ſubvertentibus, & his ſimilibus, ad tantos ſumptus faciendos non ſufficiunt proventus iſti, ſed recurrendum eſt ad ſubſidiarium medium, & aliundè tantum ex Collatione civium addendum, quantum neceſſitas flagitat. Hoc ſupplementum ſive additamentum non telonii ſed voluntariæ contributionis, ad ſublevationem Ordinariorum redituum Civitatis, quod propriè per germanicum vocabulum **Die Zulage** ſignificatur, nequaquam ex occaſione temulenti alicujus ſomnii, ut Diſcurſus fingit, ſed præviis maturis, & in alterum, vel tertium menſem protractis Civium cum Magiſtratu deliberationibus, urgente neceſſitate inſtituitur, & conſumptibilibus plerumque in Vrbe rebus, vel etiam aliis imponitur, unde paulatim colligitur id, quod ſatis eſt, & pedetentim minuitur, tandemque ceſſat, ceſſantibus cauſis, propter quas introductum fuit. Sapit hæc collationis ſpecies naturam ſimplicis

donationis, cum liberrimo consensu tantundem commodis Patriæ, de propriis rebus Vrbis Incolæ largiuntur. Et quia varii sunt exigendæ contributionis modi, in quibus vel geometrica, vel arithmetica proportio magis, vel minus observatur, nonnulliq; cumprimis ditiores, alii verò promiscuè universum populum æqualiter afficiant, ideò in hac specie distributio per impositionem oneris in rebus, ad quotidianum victum, & secundum privilegii tenorem, commercium quoque spectantibus, ita fit, ut non juxta censum opulentiorum sed magis habitâ ratione individuorum, qui plenâ securitate, & cæteris commodis benè constitutæ Civitatis, ex æquo viritim fruuntur, singulorum debita quota colligatur: suo loco, & tempore iis quoque simul laudatis, & adhibitis exactionum modis, qui præcipuè locupletiorum facultates excutiunt, nimirum centesimis: Ita ut juxta normam Iustitiæ, ac fidei patrio solo debitæ, in conquirendis necessariis mediis æqua proportio habeatur inter eos, quorum interest Statum Civitatis salvum esse. Et hactenus quidem facti sui Civitas non tenetur ulli mortalium rationem reddere; Licet enim unicuique jactare suum, quidni patriæ saluti impendere? Ast tu, quas nugas, inquis, in enarrandis rancidis civilium contributionum modis, ac moribus cumulas? Quæritur enim hoc, quo fundamento nitatur impositum merci-

mercibus onus, tranſcendens urbis incolarum claſſem, & ſimul implicans exteros, ac liberos Regni indigenas. Bona, quæſo, verba: nam illuc recto gradu propero. Largiamur igitur hac vice, hoc onus, tametſi ex intentione Magiſtratus primario Civibus præſtandum incumbit, teſtantibus id publicè in Vrbe affixis tabulis, ita nihilominus per naturam rei, & negotiationis rationem comparatum eſſe, ut ſimul alios, qui Vrbem frequentant, ac ibidem tractandorum commerciorum facultatem exercent, aliquo modo tangat. Sunt autem præter Cives, & Incolas in Vrbe, plerunque aliqui Indigenæ Regni, vocabulo generaliter ſumpto, tum etiam exteri, ſive alienigenæ. Ex his Poloni, qui ſunt filii Regni, & ejuſdem Reipubl. cum Civitate Dantiſcanâ Cives, minimè omnium, quantillum eſt, quod in ipſos de hoc civico onere redundat, indignandi cauſam habent. Tam notum enim eſt, quam quod notiſſimum, Civitatem Dantiſcanam graviter ære alieno obſtrictam, & tantùm ob fidem, atque operam ſereniſſimo Regi, atque Reip. Polonæ, cum aliàs ſemper, tum præcipuè in noviſſimo bello cum Suecis in Pruſſiâ geſto alacriter præſtitam, in hunc ſtatum conjectam eſſe. Potuit enim, poſthabito officio neceſſitudinis cum Regno Poloniæ, vel unico verbo extricare ſe ex difficultatibus, atque periculis belli, nec leviter rem ſuam meliorem

liorem reddere, conſervato, & aucto commerciorum uſu cum Suecis, ab ipſis ad id ſub Neutralitatis, ut loquuntur, Statu gnaviter invitata. Verum hæc Civitas & proprio integritatis ductu, & ipſius Regis, atque procerum Regni liberali hortatu, haud cunctanter condeſcendit in parem omnino ſortem, cum cæteris Regni membris, ſuaſque partes ita fortiter, & fideliter egit, ut publicis etiam in Comitiis Regni, ſolemni Illuſtriſſimi Archiepiſcopi commendatione poſteris ad exemplum ſingularis virtutis imitanda, fuerit propoſita. Sumptus autem in Munitionibus Vrbis, ſuſtentatione militarium cohortium, inſtruendo armamentario, & reliquo apparatu militari facti, non aliquot ſaltem centenorum millium, ſed myriadum florenorum ſummam exæquant, ad quam exactè refundendam Reſpubl. ſanè jam multis ab annis Civitati, jure teneretur. Moris enim eſt, & juris ubique gentium, propugnacula in limitibus Imperiorum conſtituta, communibus omnium indigenarum collatis ſumptibus defendi, nec id onus ſolis imponere locorum inquilinis. Admodum abſurdum eſſet, in Vrbe cuſtodiam portæ, cum omnibus requiſitis impenſis ab iis tantum exigere, qui proximi iſtius portæ ſunt vicini. Quin potius ratio, & æquitas poſtulat, uſuſque rerum politicarum magiſter docet, hoc opus eſſe totius Communitatis, ad defenſionem

loci,

loci, ſingulis & univerſis ſecuritatem præſtantis, pro rata conferre ſtipem. Sic in Vngariâ præſidia, in oppidis divitiis florentibus collocata, vicinarum regionum, & aliquando totius Germaniæ opibus ſuſtentantur. Nec alia eſt in Belgio, in littoribus Africæ, & Indiæ ſitarum Vrbium & Caſtellorum limitaneorum tuendorum ratio. Et quid attinet aliorum populorum infinita exempla corradere, cum & in Orientalibus Regni Poloniæ limitibus conſtituto militi, ex publico ſtipendia numerentur. Nec fruſtra, aut luxus causâ in communiendâ Vrbe tantùm æris collatum eſſe, ſumma Regis Guſtavi in coanguſtandis, & conquirendis hujuſmodi locis peritia manifeſtum reddidit, qui bis fortalitium maritimum circa portum, antiquitùs Laterna dictum, victricibus ſuis armis tentare conſtituit; operis vero robore, & reliquo ad defenſionem deſtinato apparatu territus, conſilio mutato diſceſſit. Idem Ejus de militari Vrbis Statu fuit judicium, dum ſubita illa vi, & cęteris artibus, quibus poſtea plurimas in Germaniâ ſibi ſubjecit, nequaquam duxerit adoriendam. Hujuſque de eâ haud vanè conceptæ opinionis maximus fructus fuit: Cum aliâs nihil hoſtilitatis poſticâ illâ Pruſſię parte verens, multò longiùs effudiſſet copias, & in ipſam Poloniam belli ſedem tranſtuliſſet. Probatum itaque eſt tunc temporis luculentiſſimo experimento limitem Regni

isthic loci, juxta divinam protectionem per hæc Vrbis, & ejus portus eximia fortalitia, quantum est in humanis rebus opis & consilii, justo præsidio teneri. Proindè tanta cum sint opera, & merita Civitatis in manifestum Reip. commodum directa, non intempestivè fortè quæreretur, quis tantos suggerat sumptus, & qualia sint brabeja Civitati à Republ. gratitudinis loco vicissim decreta? Rectè Iurisconsulti dicunt, Eos qui beneficium acceperunt, naturaliter obligatos esse, ad reddenda antidora, pro modo facultatum. Fassi sunt idem Vniversi Status in publicâ sanctione Regni, facta Civitatis justis laudibus efferentes & convenienter remuneranda esse, jus ac fas censentes. Hoc verò, cum lapsu temporis vel oblivioni traditum sit, vel aliis succedentibus Reipubl. negotiis nimis diu differatur, & nihilominus debita Civitatis persolvenda sint, tum & ad alia continuanda, & perficienda necessaria opera novi sumptus parandi, quid culpandum est, per Deum immortalem, in actis Civitatis, dum jure suo utitur, & ad retinendam fidem, officiumque Reip. deinceps quoque in conservando suo statu plenè præstandum civicam collationem urget? Et quam, quæso, Poloni, quos debito cum honore nomino, lamentandi causam habent, etiamsi illorum aliqui in hoc contributionis genus nonnihil involverentur; cum quicquid inde colligitur, præ-

cipuè,

cipuè, & longè maximâ parte ex facultatibus Civium, & incolarum Vrbis desumptum, præter id autem exiguum aliquid, vel quodcunque sit, simul ab illis, qui commoditate Vrbis, & commerciorum jure ibidem fruuntur, additum, totum certè, quantum est, in illum usum unicè accommodetur, quem in usum, si istud medium collationis non suppeteret, universa Resp. tantundem, propter securitatem illius limitis, conservationem portus, & promotionem commerciorum, ad singulorum incolarum Regni prosperitatem spectantium, ex ærario Regni, vel aliâ quavis communi contributione haberet conferendum. Hæc ut opinor, æquo rerum censori facilè satisfacient. Exteris verò Nationibus inter alia respondendum est, quod ex Statuto Civitatis, tum demum exactio istius impositi precii peragatur, quando factâ permutatione, merx in dominium Civium transiit: adeòque ab ipsis Civibus præstandum veniat. Secundò addendum, hoc subsidiarium adminiculum non esse perpetuum, sed extraordinarium, & momentaneum aliquod sublevandę necessitatis medium: quod juxta debitorum Civitatis paulatim persolutorum decrementum decrescat, ac tandem etiam, Deo benedicente, penitus abrogabitur, urgentibus idipsum vel rigidissimè quamplurimis in civium numero constitutis, utpote quos hoc onus, inprimis in com-

parando quotidiano victu, & commerciorum usu premit. Tertiò naturali æquitati convenit, id haud ægrè conferendum esse, sine quo usus rei haberi nequit. Convertitur autem, quicquid hoc modo collectum est, in conservationem communis incolumitatis, sine quâ nec status commerciorum isthic loci salvus esse, nec peregrinis negotia sua commodè pertractandi facultas integra consistere potest.

Articulus XVII. Discursus.

QVando mercibus nostris Dantiscum venimus, & Dominis Civibus Dantiscanis emere non placet, quoniam tam vili precio, uti desiderant, illis addicere nequeamus, granaria à Civibus conducere, & merces nostras in manus illorum, sub clavibus asservandas, tradere compellimur: super his postmodùm fermè dimidium, vel duas tertias partes pecuniæ, prout eas æstimant, nobis præ manu dant, retinentque eas pignoris loco: sicque pro nonaginta quinque, vel etiam centum florenis, quos pro lasta siliginis accipere debuissemus, uti jam dictum est, vix septuaginta quinque, vel octoginta florenos nobis dant commodato: residuum quod postmodùm speramus subsecuturum solvunt rationibus de expensis, usuris, pensione, pro granario, & id genus aliis.

Articulus XVIII. Discursus.

SI cum Mercatoribus peregrinis negotiaremur, tam ingentem, atque intolerabilem jacturam non pateremur: Quippè Mercatores Exteri iidem sunt, qui pecuniam in Regnum important, sicque nunquam deerit, & quando merces defluitaverimus, illico earum venditio procedat.

Responsio ad Artic. XVII. & XVIII. Discursus.

REFERT hic Discursus Autor nonnullorum Polonorum morem, frumentum, quando illud majori precio vendere nequeunt, in granaria urbis recondentium, & ibidem loco sperati commodi, ex futuro incremento valoris, gravius subinde damnum incurrentium, propter expensas in rei conservationem tantisper factas. Habet hic locum Platonis sententia in epitaphio, quam expressit Cicero his verbis: Nam cui viro ex seipso apta sunt omnia, quæ ad beatè vivendum ferunt; nec suspensa aliorum aut bono casu, aut contrario, pendere ex alterius eventis, & errare coguntur, huic optimè vivendi ratio comparata est. Talis non est conditio mercaturæ, nec etiam mercatorum, sed potius innumeris variantis fortunæ casibus subjecta est, pendetque omnino ex

dubiis aliorum eventis. Proinde liquet ex his non invidendum esse, si quod aliquando negotiationi dediti lucellum rei faciant, cum sæpius fiat, ut idem institutum, quod Poloni supradicti, sectantes, propè totius substantiæ suæ jacturam faciant: Nec semper quæstum existimandum esse, si rem aliquando, paulò carius quàm emerint, vendant, cum computatis computandis, expensis nimirum operæque impensæ precio, longè pluris ipsis constet, quàm quod inde acquirunt. Error etiam est, quod putant incolæ Regni, meliori successu rem suam alienatum iri, si cum exteris immediatè contraherent. Sunt illi, ut dictum est antea, peritissimi rerum, non solum domesticarum, sed etiam constitutarum in Regno Poloniæ: Et ipsimet Dantiscani nunquam satis providi sunt, quin multoties se circumventos sentiant. Imò hoc certo sibi persuasum habeant inordinatum illum nonnihil coëmendi frumenti modum in Vrbe Dantiscanâ, causam esse majoris plerumque valoris: Et si simul exteri admitterentur ad parem negotiationis facultatem, sublata Civium Dantiscanorum prærogativâ, majorem illum numerum rem ipsam cariorem non redditurum. Nam quo pauciores sunt, qui potestatem rei vendendæ habent, eò carius vendere possunt, si inter se consentiant: Præterea quo carius res vendi potest, eò carius etiam comparari, & emi potest.

Quod

Quod revera ita ſit, convolantibus Dantiſcanis ad allatæ mercis exhibitionem, & illam propter imaginarium lucrum tam avidè concupiſcentibus, ut ſpe ſuâ haud raro fruſtrati pœnas dent immoderatæ cupiditatis.

Articulus XIX. Diſcurſus.

OMnia gravamina, atque inconvenientiæ ejuſmodi, univerſæ Nobilitatis tam Poloniæ, quam Lithuaniæ, ſolummodo iſthoc negotio Telonii Marini tolli, atque in ordinem convenientiorem redigi poſſunt. Nam incrementum teloniorum Marinorum, & recuperatio Dominii Maris majori in obedientiâ, humiliorique ſubjectione, quàm hactenus fuêre, illos detinebunt. Nam acquiſitione præfati immodici lucri tantopere criſtas erexerunt, ut poſtulatis, juſſionibus, vel Mandatis S. R. Maj. tanquam ſuperioris, nulla reverentia, nulluſque honor, debito modo amplius exhibita ſint.

Reſponſio ad Articulum XIX. Diſcurſus.

DE futuro mirabili abuſu iſtius affectati telonii, ſi illud in uſum ullo modo perduci poſſet, dicetur inferius. Nunc pauca ſaltem de Dantiſcanorum intemerato obſequio, erga ſereniſſimum ſuum Regem, ad diluendam inimicorum calumniam, ſubjiciam. Eſt autem non ſolùm Polonicæ, ſed etiam alio-

rum principum in diverſarum gentium regimine occupatorum communis quaſi conditio aulæ, quod ob multifariam rerum perplexitatem, in decernendis mandatis, præſertim ad requiſitionem, & ſupplicationem privatorum conceptis, non ita primo ſtatim actu, ſemper & ubique id, quod verum, & rectum eſt, humano judicio perſpicere poſſint. Hinc vulgaris etiam iſtiuſmodi expeditionum hæc declaratio ſubintelligitur, quod, uti petitur, ita mandetur, ſalvo jure tertii. Accidit igitur hoc rerum Statu in Vrbe Dantiſcanâ, quod ita promiſcuè impetratis, & inſinuatis mandatis, eorum quàm plurimi compotes voti fiant: alii verò admodum pauci propter malè narrata, aut diverſa Civitatis jura, ſpe ſuâ fruſtrentur; & illi quidem prꝍſtiti obſequii teſtandi causâ, nunquam ad aulam revertantur: hi verò contra indignabundi ſtatim ad implendas aulicorum aures queſtum abeant, nec non ad exemplum hujus Diſcurrentis, de criſtis Dantiſcanorum injuſta emblemata fingant. Verùm gnari fuerunt hujus rei ſuperiorum temporum Illuſtriſſimi Cancellarii, qui per obſervanter ſubindè rogati, ne permitterent è ſuis grammatophylaciis ejus generis mandata emanare, quæ ſcirent Magiſtratum Civitatis, ſalvâ ratione officii, exequi non poſſe: Vti ſunt, quæ continent exemptionem incolarum Vrbis à juriſdictione ordinariâ: Communicationem

De more Curiæ regiæ in expediendis mandatis.

tionem juris Civitatis perſonis haud capacibus: avocationem proceſſuum extra ordinem legitimarum inſtantiarum: inhibitionem executionis poſt rem judicatam: Indulta literarum moratoriarum citra ſenatus commendationem. Extraditionem bonorum caducorum ante præſcriptum tempus: & id genus multa alia: Reſponderunt autem benignè, hunc eſſe morem aulæ, quod ſæpè dandum ſit aliquid hominum importunitati, qui ſucceſſu deſtituti ſuo poſtea damno experiri diſcerent poſtulati ſui impudentiam: Interim nihil decedere juribus Civitatis, utpote cui ſit, quo minus propter legitimas rationes pareat mandatis, ſalva facultas decenter informandi Regiam Majeſtatem. Atque hoc quidem incommodum Curiæ ferendum eſſet æquo animo niſi malevoli hinc captatâ occaſione criminandi Magiſtratum, variis ſuis ſophiſmatibus perſuaſum cuperent Regi, nullam amplius reverentiam, nullumque honorem mandatis ejus in Vrbe haberi. Verùm hoc non agitur, ut ſeriò Civitatem mallent obſervantiorem eſſe reſcriptorum Regiorum, quin ſi ex ipſo præſtito obſequio aliquid culpæ in eam transferre poſſent, nihil ſibi à ferali ſententiâ contra eandem dicenda temperarent. Cujus rei unicum ſaltem exemplum adferam. In Spiringianâ causâ hoc præcipuè Civitati Dantiſcanæ imputatum fuit ab adverſariis, quod maſſam hæreditatis

Duſtianæ, in aliquot millibus aureis conſiſtentem, & ad Spiringios, proximos ab inteſtato hæredes probabiliter pertinentem, Magiſtratus Civitatis, poſt motam à fiſco controverſiam, ſereniſſimo Regi, ad ejuſdem Mandatum extradendam cenſuerit, atque hoc ſuo facto proceſſum non ſaltem longè difficiliorem reddiderit, ſed potius ſpem omnem victoriæ hæredibus præciderit. Hîc poſtqam, non adeò pridem, in gratiam Spiringiorum deputati fuerunt certi Inquiſitores Regii, de officio Magiſtratus Dantiſcani in hac causâ adhibito diligentius inveſtigaturi, quidni ſtatim, vel unico verbo vindicare debuiſſet eundem Magiſtratum ab omni moleſtiâ exhibitio Regii mandati, cui præſtitum fuit obſequium, ſimul additis Reverſalibus literis, Civitati de indemnitate caventibus? Et quidem hæc videbatur opinio fuiſſe Spiringiorum, nempe Senatus-conſultum de extradendâ maſſâ Duſtianâ, nullo alio fundamento, quàm nudo regio mandato niti: Ideoque jam conclamatum putabant de defenſione Senatus: Et certè hic nihil ex obſequio feciſſe, benignè fuiſſet. Verùm demonſtratum fuit, facta fuiſſe omnia ritè, rectèque ſecundùm ſtilum judiciorum Civitatis: Spiringios autem deſeruiſſe proceſſum, atque poſteà ex contumaciâ reos actos, causâ penitus cecidiſſe: tum demum iteratis mandatis regiis tradita fuiſſe Duſtiana bona Officiali-

bus

bus regiis, cautumque Civitati ex abundanti de indemnitate. Ita nihil culpæ inventum in actis Magistratus. Interim tamen licuit ex hoc actu inquisitorio satis rigidè instituto observare, paruisse mandatis Regiis aliquando nocere posse, & ab iis, id ipsum noxæ loco reputari, quibus alias nunquam satis serenissimo suo Regi paruisse Civitatem ostentandæ facundiæ suavissimum thema videtur. Verùm, ut inquit alicubi, Pomponius Iurisconsultus, in omnibus causis pro facto accipitur id, in quo per alium moræ sit, quo minus fiat. Ita culpa minus aliquando observatorum regiorum mandatorum iis accenseri debet, qui hujusmodi mandata procurant, quibus propter vicium subjecti, prompta ad obsequium Civitas, affectum suum per effectum declarare nequit. Sciant verò adversarii Dantiscanos non tantùm obiter eruditos esse, de fide, & obedientiâ superiori debitâ: nec ideò tantum præstare subjectionis officia, quod hic ordo politicus ad retinendam pacem, & mediocria humanæ vitæ commoda sit necessarius, sed inprimis etiam propter conscientiam. Verè enim credunt, divinam Ordinationem esse Imperia, & obediendum esse Regibus, propter Deum, autorem ejus Ordinis. Interim verò, cum & diversæ Rerump. formæ, legitimè constitutæ, verbo divino per se non sint contrariæ, & civilis Magistratus tam in quàm plurimis locis, quàm

etiam Civitate Dantiſcanâ, certo officii ſui jurejurando aſtrictus ſit, ad conſervationem ſui Status, juxtà originalem formam: ita in hoc curſu demandatæ functionis progredi debet, ut juxta obſequium ſupremæ, & legitimæ poteſtati debitum, fidem quoque ſervet civibus, in ſubordinatâ poteſtate ſuâ, per eandem divinam Ordinationem ſibi commiſſis.

Articulus XX. Diſcurſus.

Recuperato atque poſſeſſo Dominio Maris, Teloniiſque Marinis in bonum ordinem redactis, qualitas Regni perbellam opportunitatem, quaſi in manus nobis tradit inſtituendi ædificationes navium: Ita ut poſt paucorum annorum decurſum, inſignes ac robuſtas naves, non minus quam Sueci & Dani, in mare immittere, poſſimus. Huic rei accommodata Materialia abundanter in propriis noſtris regionibus reperiuntur, veluti ligna, funes, ferrum, commeatus, inſuperque omnia, quæ ad naves, navigationeſque in Mari requiruntur; quæ omnia ex aliis regionibus quærere nobis opus non eſt. Verum alias regiones ea omnia quotidie ex noſtris regionibus petere oportet. quemadmodum præ aliis Batavi, qui plurimas naves, præ omnibus aliis, in toto Chriſtiano orbe conſtitutis populis, in ditionibus ſuis extruant, materialia hujuſmodi, aliaque omnia pertinentia ex regionibus noſtris quotidie exportare neceſſariò tenentur. Idcirco nos duobus

bus florenis plus ædificando promovebimus, quàm isti tribus cum dimidio, imo vix quatuor florenis poterunt. Verum quidem est, aliquantulum primitùs constabit institutio hæc: sed è contra, habemus proventus Maris ex ejusdem teloniis, uti in præcedentibus punctis relatum est. Paucis silentio quoque præterire nequeo, Regem Daniæ per aliquot annos prope oppidum Putzkam, multùm lignorum ad ædificationem navium suarum, illinc auferre curasse.

Articulus XXI. Discursus.

Recuperatione Dominii Maris, Institutione Telonii Marini, atque ædificatione navium, Regnum nostrum Poloniæ, Magnumque Ducatum Lithuaniæ in magnam securitatem collocabimus, ut nullus transmarinus Portus nostros hostiliter aggredi, bellumque inopinatum atque perniciosum inferre amplius audeat, quemadmodum annis præteritis satis superque perspeximus, maximoque damno nostro experti sumus. Quare res est non parvi momenti, sed quæ probè consideranda atque examinanda. Hisce igitur omnibus in ordinem redactis, tunc demùm jactare jure, atque merito poterimus nos Nationem liberam, neque à quopiam tam facilè premamur, uti hactenus factum.

Articulus XXII. Diſcurſus.

EXinde inſuper famam atque auctoritatem apud Exteros Reges, & principes, nobis conciliabimus, qui optimum inſtitutum noſtrum, omni laude dignum judicent, licet omnibus non æquè perplacuerit. Majori etiam reſpectu vicini, atque amici noſtri nos dignabuntur: terrorque haud vulgaris omnibus inimicis noſtris, tum præſentibus, quàm futuris incutietur.

Reſponſio ad Articulum XX. XXI. & XXII. Diſcurſus.

TRITVM, verumque eſt, quod dicitur: de futuris contingentibus non eſt determinata veritas. Item, bonus eſt vates, qui ex præteritarum rerum eventu, & accuratâ præſentium circumſtantiarum conſideratione, præcipit futura. Hoc pacto, ſit ita, quod in Regionibus Regni Poloniæ omnis generis materia, ad rem navalem inſtruendam neceſſaria, comparatu fermè facilior ſit, quam alibi; adeoque ad exhibendam claſſem prompta ſit facultas? Non tamen ſufficit hoc ad certam victoriam promittendum. Sunt & equi in Poloniâ generoſi, & numero quamplurimi: & nihilominus admodum dubio eventu cum hoſtibus multoties pugnatum eſt. Teſtatur id

De classe Polonica qd promitti possit boni, si in eam adornan' proventus navales [illegible] collocarentur.

id bellorum cum Crucigeris gestorum historia, quorum statum nulla major vis externa sed intestina discordia, & perversitas morum, divinam vindictam poscentium, evertit. Præterea primarium ferè classici successus momentum, situm est in navalium sociorum copiâ, fide, & industriâ: quorum hominum haud ferax est Polonia. Hunc autem defectum supplemento aliarum nationum emendari posse, præterquam quod periculo non vacat, tantam rem peregrinæ fidei committere; quid aliud est dicere, quàm nihil prærogativæ eâ in re Polonis competere; cum & aliæ gentes classicarum suarum expeditionum defectus, aliunde parata copia, resarcire possint. Constat quoque validas classes, & expeditiones maritimas continuas, sine adjuncto frequenti commerciorum usu, & incolarum perpetuo navali studio, in vigore retineri non posse. Id enim fuit præcipuum adminiculum, quo se Græci contra immensum apparatum Persicæ potentiæ olim tutati sunt: & nostro seculo Status confœderati Belgii ingentes vires Hispanicas æque mari ac terrâ stupendas, hactenus morati fuerunt. Accedit quod cæterorum Regum marinorum in districtu Baltico, maxima Status securitas, respectu saltem externorum motuum, in robore classis consistat. Vnde non dubitandum, nihil eâ in re ab iis neglectum esse. Multum autem refert, quo necessita-

tis gradu medium, ad uſum tranferendum, in producendo effectu, conſtitutum ſit. Audita eſt vox memorabilis, nupero in bello prutenico, in numero illo exterorum Legatorum, à quodam viro gravi, & militiæ perito prolata. Querentibus enim de Statu caſtrorum utriuſque gentis, & earum moliminibus, hic retulit ſe in caſtris Suecicis unicum obſervaſſe virum, cui res eſſet cordi: in Polonicis verò ne quidem unicum. Non adſcribo annum, neque diem, quando hoc factum eſt: fuerunt enim diverſis temporibus diverſi Duces exercitus: ne inde colligi poſſit, quos ille notavit. Hoc autem dictum voluit, Guſtavum Regem ſummâ curâ rebus ſuis fuiſſe intentum: quia intellexit, totius Majeſtatis ſuæ ſtatum verti in cardine felicioris ſucceſſus in hoc bello: Contra verò pleriſque Polonis vix ſuum ſe in Pruſſiâ negotium agere opinantibus. Nam & hi auditi ſunt haud vulgarium hominum ſermones in Poloniâ, fuiſſe aliquando Rempubl. ſine Pruſſiâ: & adhuc illam, ſine hac eſſe poſſe. Hæc ideo adfero, ut intelligatur nunquam illam induſtriam adhibitum iri in conſervandâ claſſe ab hac parte, quanta adhibebitur ab illis, quorum propter rationem Status intereſt, ne ulla ſit, in illâ deſtruendâ. Quidni enim conſtitit Reſp. aliquando ſine claſſe? Imo etiam ſine Maris imperio. Addendum hic eſt, quod ſuperius ex revolutione antiquorum monumento-

mentorum allatum eſt, veteres Slavos, ſecundùm Cromerum, Polonorum majores, hujuſmodi aliquid ſimile contra gentes Cymbricæ cherſoneſi, & ejus accolas Danos inprimis, atque Saxones non ſemel tentaſſe, ſed funeſto ſucceſſu. Poteſt etiam, ut ad noſtri ævi hiſtoriam perveniamus, ad oculum demonſtrari, cauſam tranſlati belli Suecici ex Livoniâ in Pruſſiam, nullam fuiſſe aliam, quàm infauſtos conatus apparandæ claſſis Regiæ tam in ſinu Pucenſi, quàm Navali Dantiſcano. quod propoſitum Guſtavus Rex nullo modo ferens, per ingeminatas cum Civitate Dantiſcanâ expoſtulationes, bellum ob id minatus eſt, & tandem intulit Terris Pruſſiæ. Verum hæc ab homine Dantiſcanis fortè nimis favente prolata, minus ſunt accepta, plus autoritatis procul dubio habitura, ſi de priſcis ſapientibus, vel Regibus aliquis ex inferis revocatus, procul ab omni livore mentem, ea in re declararet. Audiamus igitur veterum conſenſum ab Herodoto, in libro, cui titulus eſt Clio, annotatum.

Poſtea verò, inquit, quàm Cræſus Lydorum Rex Græcos in Aſiâ ſubegit ad tributum pendendum, tunc conſtituit ædificatis navibus aggredi inſulanos: Ad quas compingendas cum omnia in expedito eſſent, dicunt alii Biantem Prianæum, alii Pittacum Mitylenæum, cum ſe Sardes contuliſſet, interrogatum à Cræſo, numquid apud Græciam novi eſſet? Reſpon-

disſe, quod illum à compingendâ claſſe inhibuit. Inquit enim, Inſulani, O Rex, decem millia equorum coëmerunt, habentes in animo adverſus Sardes, atque te exire in expeditionem: Et Cræſum vera loqui ratum, dixiſſe: Vtinam dent Dii hanc Inſulanis mentem, Lydos invadendi cum equis: Atque hunc excipientem dixiſſe: Videris mihi, ô Rex, cupidè vota facturus, ut Inſulanos in continente adipiſcaris equitantes, haud abſurdâ ſpe. Verùm quid aliud Inſulanos optare cenſes, quàm ſimul ac audierint conſtituiſſe te, adverſus ſe claſſem ædificare, ut nacti Lydos in mari intercipiant, teque pro his Græcis, quos tu in continente tibi adjeciſti, ulciſcantur. Hoc ſermone delectatum Cræſum, atque inductum, ab ædificandâ claſſe deſtitiſſe, atque ita cum Ionibus, qui inſulas incolerent, hoſpitium contraxiſſe. Hîc nemo antiquæ hiſtoriæ peritus negabit, Polonos cum Lydis, nobiliſſimo quondam in Aſiâ populo, ratione equeſtris militiæ rectè comparari: quemadmodum & inter Inſulanos Maris Mediterranei, atque eos, qui in Oceano Septentrionali, tum Mari Baltico inſulas, Cherſoneſos, & littora colunt, quamplurimùm eſt ſimilitudinis. Proinde quoque uti nullum eſt dubium, ſi in Scythicis campis ad oſtium Boryſtenis, aut in confiniis Beſſarabiæ vel robuſtiſſima phalanx Nautarum contis, & remis probè armata validis Polonicis Equitum

tum turmis objiceretur, quin ea vel hoſtili aſſultu, vel ad minimum commeatuum excluſione brevi deleri poſſet: Ita haud minus veriſimiliter Terrigenis Poloniæ, Neptuni ſobolem, quaſi quoddam genus amphibium in adminiſtratione claſſium, & navalibus certaminibus longè potiorem futurum, aſſeverari poteſt. Nec ſatis cauſæ eſt, ad res novas Mari tentandum, in cupidine amplificandæ famæ, atque autoritatis. Cum vix unquam rerum geſtarum gloriâ Polonicum nomen celebrius fuerit, quàm hoc tempore, propter ſuſceptas aliquot, & feliciter exantlatas expeditiones in plagis orientalibus. Nondum enim annus decimus & ſeptimus circumactus eſt, cum Oſmanni Turcici Tyranni innumerabiles copiæ incredibili felicitate exercitus Polonici in finibus Podoliæ ſtrenuè ſunt fractæ. Adhuc recentiores, & longè majori laude, comparatæ ſunt res cum Moſcovitis geſtæ: in quo bello cum ipſius inprimis auguſtiſſimi Regis tum utriuſque bellicoſiſſimæ gentis Polonicæ & Lithuanicæ contra vim omnem tempeſtatis, & hoſtilis machinationis, tam inſigniter corporis æquè, atque animi robur emicuit, ut par ſucceſſus vix alibi in antiquâ hiſtoriâ, tam græcâ, quam latinâ deſcriptus legatur. Verum cum Septentrionalibus, etſi non dixero pænitenda, parùm tamen læta, jam aliquot annos fuit belli continuatio: ita ut hinc ferè, quod

olim Euphrates Romano, & Bosphorus Persico imperio, id mare Balticum amplissimo Regno Poloniæ, inde ad Euxinum usque pontum extenso, simplicioribus videri possit. Postremùm, ut multa, verbis non multis exprimam, terrere velle, quos irritare sine periculo non licet, magis temerarium est, quàm aureo hamo piscari.

Articulus XXIII. Discursus.

QVoniam in præcedentibus punctis, Confratribus meis paucis commemoravi 1. de Vtilitate, quæ Vniversæ Reip. ex telonio Marino est expectanda, 2. de Lucro, quod Nobilibus ex Commerciis accrescet 3. de securitate status nostri, totiusque Regni: Referre nunc paucis supersedere nequeo, quæ partim ab uno atque altero percepi. Inprimis quantopere Domini Dantiscani adlaborent apud multos externos Reges, atque Principes, incitando illos, ut adversus Rempubl. hac de causâ insurgant. Quæ apud Daniæ Regem moliti sunt, in præcedentibus breviter, delineatum est. Nunc quoque pro comperto habemus, tantum apud Reges Galliarum, Angliæ, & Ordines Hollandiæ effecisse, ut vere proximo Legatos suos in Regnum Poloniæ missuri sint, conquestum coram Republ. de instituto telonio Marino. In prioribus punctis memini quàm res sit periculosa Maritimas Civitates tam absolutè dominari portibus nostris, uti hactenus satis diu solitæ sunt.

ſunt. Nam quod Reges præmemorati Legatos ſuos huc ſint directuri, non propriâ ipſorum causâ fit, quaſi haberent, quod prætendant: ſed ſolo impulſu ſubditorum noſtrorum rebellantium. Quid Hiſpaniarum Regis, quid Galliarum, quid Angliæ, quid Sueciæ, quid Daniæ, quid Hollandiæ Ordinum, quid denique aliorum quorumvis Exterorum Principum refert? quo minus, quæ volumus, in Regno noſtro conſtitueremus, ſubditiſque imponeremus. Quis ille, quæſo, qui in Regno noſtro leges præſcribat, quæ nobis facienda, quæque linquenda? Eadem libertate, quâ omnes reliqui Reges, & Principes in ditionibus ſuis fruuntur, & nos in Regno noſtro gaudemus, telonia nimirum inſtituendi, eademque rurſus abrogandi, ſimiliter, uti alii præfati Reges & principes. Nullus Patriotarum, veruſque Patriæ noſtræ Amans, unquam admittet Principibus externis reformationem Status in Regno noſtro: Etenim ut noſtrum non eſt illorum regimen reformare: vice verſâ nec illorum, nos in noſtro regimine reformare. Vnuſquiſque in Regno, & portibus ſuis, pro ſuo libitu, telonia inſtituit, neque permittit cuiquam de iis diſceptare, ſimiliter & nos facimus. Rex Hiſpaniarum capit pro centum, triginta, ſecundùm pacta ab Anglis inita. Si Batavi beneficio eodem publicè negotiandi cum Hiſpanis fruerentur, lubenter quadraginta, imò quinquaginta Regi pro centum dependerent Hiſpano. Apud Anglos telonium indigitatur, vocabulo Cuſtom, ubi temporibus antiquis uſu receptum fuit, ut quinque pro centum exacta ſint: Nunc verò diuturnitate tempo-

 ris,

ris, merciumque mutato valore, de mercibus quamplurimis, octo, decem, etiam quindecim pro centum persolvantur. Non ita multis abhinc annis Rex Angliæ telonia sua auxit, inprimis telonium de pannis. In Galliâ quoque non multo minoris penditur, ubi Rex Telonium, brevi temporis Spacio bis, vel ter duplicavit, quàm antea fuit. Rochellâ obsidione cinctâ, idem Rex in Reidâ suâ, penes Insulam S. Martini, telonium Salis sexies adauxit, ut naves inde venientes, sexaginta aureos Coronatos Francicos, pro Centum salis, in telonium inferre coactæ sint. (centum autem Salis, conficiunt 12. lastas Polonicas) Apud Suecos ante biennium, telonium quoque magnâ ex parte adauctum, atque immutatum. Rex Daniæ ibidem non semper æqualem exactionem Teloniorum esse sinit: sed quoties ipsi lubet, illa quandoque adauget, vel minuit, quemadmodum paucis abhinc annis factum, postquam ipsius arx in Elseneur, incendio absumpta esset, telonium denuo, quàm ocyssimè auxit sub prætextu, Arcis restaurandæ gratiâ id fieri. Cum Dantiscanis etiam adhuc ipsi quæstio est, ob quam de Dantiscanorum mercibus duplex telonium exigi jubet, cum à cæteris tantùm simplex pendatur. In Bataviâ appellatur telonium Marinum Licent: Hoc Batavi augent vel minuunt pro libitu, quemadmodum etiam ante annos non adeò multos, augmentationem, vulgò sur-plus dictam, huic addidêre; non ita pridem insuper novum telonium instituerunt, sub prætextu, quo certas naves extraordinariè in Mare mitterent, quare singulæ naves, earumque merces,

certum

certum quid dependere necesse habuere, tam exeundo, quàm ingrediendo: breviter quivis Principum in teloniis instituendis, liberâ utuntur dispositione. Ex adverso Dantiscani persuadere nobis conantur, instituendo telonia nostra eaque disponendo, exteros Principes quoque habere quod inferant. Nos solummodo à propriis subditis nostris telonium exigere cupimus, pro mercibus, quas Regiones nostræ fundunt, iisque exportantur. similiter etiam pro mercibus quæ in nostras regiones importantur, in iisque consumuntur. Atque illud ipsum est, quod desideramus. Verùm percipiamus aliquantum, quo jure alibi telonia exigantur. Rex Daniæ, si idem ageret, quod nos facere constituimus, deque iis mercibus tantummodo telonium caperet, quas ipsius Regnum profundit, eoq; exportantur, vicissimque de importatis in ipsius Regnum ibique consumptis, profectò exiles proventus ex telonio suo, quotannis sumeret. Verùm plurimùm ex Regionibus nostris acquirat necesse est: merces certè ex portibus nostris Prutenicis emissæ, plus ibi inferunt, quàm cæteri omnes ad mare Balthicum portus, quamvis in fine autumni anni præcedentis, auferendo Regias naves, parùm retulit gratiæ. Idem Rex Daniæ, uti Universo Orbi constat, in albi fluvio Gluck-stadii novum instituit telonium, ubi antea nullum fuit, licet merces, quæ ibi exportantur, atque invehuntur ejus in ditionibus non proveniunt, neque etiam ibi consumuntur. Huic quidem Hamburgenses hostiliter restiterunt: attamen armis Regiis eò compulsi sunt: interim illic telonium Rex exigit, similiter

etiam

etiam in Sunda, & pro libitu ſuo adauget, vel minuit. Batavi non modo licentias mercibus, quas ipſorum regio fundit, inibique conſumuntur, imponunt: ſed etiam omnibus aliis in ditiones ipſorum advectis evectiſque. Omnia quæ præterea dicenda eſſent de teloniis aliorum Regum, nimis longum foret commemorare; Verùm mens mea hæc eſt nimirum me nunquam percepiſſe, à Regibus & principibus nominatis unquam hoc in Regnum miſſum, quæſitumve an liberum ſit diſponere in teloniis ſuis, pro ut vellent, ita ex adverſo Nos, Natio tam libera, non obligamur illos interrogare, quid nobis in his agendum, multò minus teneamur illis reſpondere, quæ præſumere, vel facere cogitamus.

Reſponſio ad Articulum XXIII. Diſcurſus.

IN hoc articulo multa continentur, de quibus præcipua ſaltem, ne præter inſtitutum prolixior fiat commentarius, breviter perſtringamus. Primò oſtendit Diſcurſus rationem obſervati ordinis, potiſſimumque totius ratiocinationis ſuę terminum in utilitate tam publicâ, quàm privatâ, tum etiam ſecuritate Status conſtitutum fuiſſe, aſſerit. Hîc oportet meminiſſe præcepti, in profundâ caligine paganiſmi, gentilibus etiam philoſophis familiaris, nempe, Vtilitatem honeſtate dirigendam eſſe: & quidem ſic, ut licet hæc duo verba inter ſe diſcrepare, unum tamen

ſonare

ſonare videantur. Secus qui fecerit, is & legum, & libertatis interitum probabit, earumque oppreſſionem tetram, & deteſtabilem, glorioſam putabit. Ad hanc rem illuſtrandam admodum memorabile factum Athenienſium ſolet adduci. Themiſtocles enim poſt victoriam ejus belli, quod cum Perſis fuit, dixerat in concione, ſe habere conſilium Reip. ſalutare, ſed id ſciri non opus eſſe. Poſtulavit ut aliquem populus daret, quocum communicaret. Datus eſt Ariſtides. Huic ille, claſſem Lacedæmoniorum, quæ ſubducta eſſet ad Gythæum, clam incendi poſſe: quo facto, frangi Lacedæmoniorum opes neceſſe eſſet. Quod Ariſtides cum audiviſſet, in concionem magnâ expectatione venit, dixitque perutile eſſe conſilium, quod Themiſtocles afferret, ſed minimè honeſtum. Itaque Athenienſes, quod honeſtum non eſſet, id ne utile quidem putaverunt, totamque eam rem, quam ne audiverant quidem, auctore Ariſtide repudiaverunt. Si hæc ita in Areopago Ethnicorum: quid in ſanctiori conſilio Polonico futurum exiſtimas? Nimirum longè aliud ibi, Deo volente, de argumentis Diſcurrentis judicium formatum iri, quàm ipſe ſibi pollicetur. Verùm pergamus aliquantulum hac in materiâ, poſtquàm præcipuum Diſcurſus argumentum in eâ collocatum fuit. Qui Reipubl. profuturi ſunt, omnino duo Platonis præcepta tenere debent. Vnum ut utili-

ex principiis natis vocis à Cicerone in libris de officiis repetita, hic opponenda videntur principiis Machiavelli, quem moderni Aulici Politici summo applausu sequuntur.

tatem Civium ſic tueantur, ut quicquid agunt, ad eam referant, obliti commodorum ſuorum. Alterum, ut totum corpus Reipubl. curent, ne dum partem aliquam tuentur reliquas deſerant. Vt enim tutela, ſic procuratio Reipubl. ad utilitatem eorum, qui commiſſi ſunt, non ad eorum, quibus commiſſa eſt, gerenda eſt. Qui autem parti civium conſulunt, partem negligunt (nota in quos reatus confertur) rem pernicioſiſſimam in Civitatem inducunt, ſeditionem, & diſcordiam. Ex quo evenit, ut alii populares, alii ſtudioſi optimi cujuſque videantur, pauci univerſorum. Hinc apud Athenienſes magnæ diſcordiæ: in Republ. Romanâ, non ſolum ſeditiones, ſed peſtifera etiam bella civilia: quæ gravis & fortis Civis in Republ. dignus principatu, fugiet, atque oderit, traderque ſe totum Reip. neque opes aut potentiam conſectabitur, totamque eam ſic tuebitur, ut omnibus conſulat. Nec verò criminibus falſis in odium aut invidiam quenquam vocabit: Omninoque ita juſtitiæ, honeſtatique adhæreſcet, ut dum ea conſervet, quemvis graviter offendat, mortemque oppetat potius, quàm deſerat illa, quæ dixi. Detrahere igitur alteri aliquid, & hominem, hominis incommodo, ſuum commodum augere, magis eſt contra naturam quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor, quàm cætera, quæ poſſunt aut corpori accidere, aut rebus externis.

ternis. Nam principio tollit convictum humanum, & ſocietatem. Si enim ſic erimus affecti, ut propter ſuum quiſque emolumentum ſpoliet, aut violet alterum, diſrumpi neceſſe eſt eam, quæ maximè eſt ſecundùm naturam, humani generis ſocietatem. Vt enim, ſi unumquodque membrum ſenſum hunc haberet, ut poſſe putaret ſe valere, ſi proximi membri valetudinem ad ſe traduxiſſet: debilitari & interire totum corpus neceſſe eſt. Sic ſi unuſquiſque noſtrûm ad ſe rapiat commoda aliorum, detrahatque quod cuique poſſit, emolumenti ſui gratia, ſocietas hominum, & communitas evertatur neceſſe eſt. Nam ſibi ut quiſque malit, quod ad uſum vitæ pertineat, quàm alteri acquirere, conceſſum eſt, non repugnante naturâ. Illud natura non patitur, ut aliorum ſpoliis noſtras facultates, copias, opes amplificemus. Hæc non ego, ſed is protulit, cujus nomen ex orationis ſuavitate facilè colligitur: non homo de ſcholâ, ſed in Reipubl. diù, multumque verſatus: nec Chriſtianus quidem, iſtius ſeculi caligine ſimul cum majori hominum numero miſerè circumvolutus: ſed lumine tamen Naturæ ſive uſu rationis, quæ fons eſt legis humanæ, ita præſtans, ut in theatro civilis ſocietatis, noſtri ævi politicos, quod ferè pudor eſt, in Republ. Chriſtianâ præceptis juſtitiæ & honeſtatis inſtruere poſſit.

Eadem eſt Securitatis ratio : de quâ propè nihil aliud dicam, quàm quod circumfertur in proverbio: Intuta, quæ inhoneſta. Soliciti ſunt Politici de aſſecurando Statu Rerump. & plerumque nimium tribuunt ſuis artibus. Sed neceſſariò diſtinguenda eſt induſtria ab ipſo ſucceſſu, & firmiſſimè ſtatuendum, ſine auxilio divino neminem mortalium, utilem eſſe rebus humanis. Hæc doctrina omnibus hominibus, qui aliquam partem communium laborum in politiâ ſuſtinent, ſalutaris eſt, ne ſpecioſis magis, quàm rectis, & piis conſiliis, quibus tantùm delectatur Deus, ſucceſſuſque felices largitur, Rempubl. juvari poſſe ſibi imaginentur. Quanta nuper, ut vetuſtiora exempla negligam, ſolicitudo fuit principum Germaniæ? qui ſtatus & libertatis ſuæ tutandæ rationem arcto Vnionis vinculo egregiè ſe corroboraſſe præſumebant. Quàm crebræ in communibus conventibus conſultationes? At in vanum omnia. Nec enim præter rem affectata curioſitas, nec fidutia humanorum mediorum laudem, divinamque benedictionem conſequitur.

Sublevans civitatis ab imputato crimine rebellionis, cum adiuncta relatione.

Alterum quod attingendum eſt, concernit crimen rebellionis, quod Diſcurſus autor plus quàm temerario auſu Dantiſcanis hic impingere non veretur. Quamvis autem Regiæ & Reipubl. voluntati in negotio novi iſtius telonii Civitas ſe haud potuerit conformare,

formare, longè tamen, ut res ipſa quoque poſtulat, benignius, & mitius, tam ipſius Sacræ Regiæ Majeſtatis, quàm etiam Illuſtriſſimi Collegii Senatorii, tum univerſi populi Poloni, Lithuanique de actis, & rebus Dantiſcanorum extitit judicium. Valet enim apud ipſos axioma in naturali ratione fundatum, quo negantur vim facere, qui jure utuntur ſuo, & eodem ſimul actu, conditionis ſuæ memores, ſupremæ poteſtatis indignationem deprecantur. Deinde ſuperius demonſtratum eſt, graviſſimi viri teſtimonio, non eos, qui variis laceſſiti injuriis, tandem inviti de quieto ſtatu deturbantur, damnandos eſſe hujuſmodi nefando crimine; ſed iſtos turbulentos novatores, per quos vel modeſtiſſimis ingeniis non licet eſſe pacatis. Denique quod minimè conviciandi animo, ſed juſtæ retorſionis loco dicendum eſt, ipſe Diſcurſus autor pervetuſta jura ſtatus immoderatâ libidine vellicans, & liberrimo Status Prutenici membro ſancta privilegia, quantum eſt in ſe, pervertens, multo facilius de propoſito novandi Statum Reip. ex inſtituto ſuo Diſcurſu convinci, quam is Civitati Dantiſcanæ, minus continuatæ Conſtantiæ in ſubjectionis fide notam vel leviſſimè ſaltem inurere poterit.

De actis Civitat. Dantiscan. in aula Danica et Curia Belgica superiori ao susceptis

Compellationem quod attinet Sereniſſimi Regis Daniæ, & Illuſtriſſimorum Confœderatorum Statuum in Belgio, cauſam Dantiſcanorum nihil aggra-

vare poteſt. Fuit tunc temporis quoddam diſſidium Civitati cum Rege Daniæ, ratione duplicati telonii in freto Danico perſolvendi, ex occaſione bellicarum aliquot navium, à Divo Rege Sigiſmundo tertio tranſmiſſarum in ſubſidium claſſis Cæſareæ, quam Albertus VVallenſteinius ad dominium maris Baltici aſſerendum in VViſmarienſi portu parabat. Declaraverat ſe Rex Daniæ, quibus modis negotium componi poſſet, & ſcitu atque commendatione Regis Poloniæ, Domini ſui clementiſſimi Civitas Dantiſcana hoc ipſum quàm fieri poſſet commodiſſimè, tranſigere ſatagebat. Eo in actu cum ex familiaribus Cubiculi Sereniſſ. Regis Poloniæ vir aliquis magnæ virtutis, & exiſtimationis in aulâ Danicâ pręter opinionem compareret, & ita de ſuborto tum commerciſtitio, ob telonii novi controverſiam in Vrbe Dantiſcanâ, diſſereret, ut Civitatem eâ de re multis gravibus criminibus inſimularet, tum & Regis Daniæ animum contra illam inflammare niteretur, non potuit is, qui tunc Civitatis nomine aderat ratione fidei ſuæ aliter facere, quàm ut modeſtè dilueret objecta crimina, & de totius cauſæ ſtatu ſummariè informaret, quibuſcum ſibi agendum erat. Naves autem Danicas tam ſuperiori, quàm hoc anno littoribus Pruſſiæ incubantes ad preces, aut requiſitionem Dantiſcanorum expeditas fuiſſe, nunquam demonſtrari poteſt. Cum

confæ-

confœderatis verò Statibus Belgii hoc actum eſt. Senſerant tam Nautæ, quam Negotiatores Belgici non leve damnum ex occluſione portus Dantiſcani, ad evitandam novi telonii præſtationem, certo tunc modo inſtituta. Inde non querela tantùm, ſed & nonnullorum indignatio ſucceſſit, neſcientium exactè, num in Spiringios, vel Dantiſcanos culpa conferenda eſſet. Ideò ne quid hujus rei causâ per ſiniſtras relationes in Belgio difficultatis exiſteret, & hi, qui damnum paſſi, juſtam ſe habere cauſam perveniendi ad remedium repreſſaliarum contra Dantiſcanos arbitrarentur, neceſſitatis fuit ſimiliter Status Belgii in puncto juris & facti rectè informare, quomodo hæc cauſa in fundamento comparata eſſet. Quia verò ſuperioribus in tractatibus de Indutiis inter Poloniæ & Sueciæ Regna eorundem Statuum mediatoria opera admodum grata, & ſalutaris extitit utriſque populis tam Polonis, quàm Suecis: & hi ipſi viri, qui tunc temporis legatione functi, adeoque Sereniſſimo Regi, tum proceribus Reip. Poloniæ benè noti, acceptique fuerunt, in vivis adhuc conſiſterent, & ad idem opus denuò tentandum facile induci poſſe ſpes erat, additum eſt in iſtâ converſatione cum Illuſtriſſimis Statibus, rogatumque, ut ſopiendæ iſtius inter ſereniſſimum Regem & Civitatem Dantiſcanam gliſcentis controverſiæ causâ, unum vel alterum ex iſtis Mediatori-

diatoribus in Poloniam iteratâ vice ablegare haud gravarentur. Nihil hic eſt criminis, nec aliud dictum, factum, aut cogitatum, quàm ut illa per malevolos exſuſcitata flamma diſſenſionis in ſolo illo puncto, de jure conſtituendi novi telonii marini contra privilegia Civitatis Dantiſcanæ, inter clementiſſimum Regem, Civitatemque fideliſſimam verſantis, placidè & bonis modis, cum dignitate Regis, & conſervatione libertatis, ac jurium iſtius Civitatis, per adæquata & legitima media quantocyus extingueretur.

Tertiò. Porro cum Diſcurſus Autor ſingularem emphaſin in eo reconditam exiſtimat, quod ſuis cum ſubditis rem ſibi eſſe, jactanter præſupponat: ideò ſine faſtidio quoque repetendum eſt, Civitatem Dantiſcanam libenter agnoſcere ſuam ſortem, & in eâ acquieſcere: tum etiam gloriæ ducere, ſe per divinam providentiam conſtitutam eſſe ſub imperio Chriſtiani, & potentiſſimi Principis, liberrimæque Reipubl. inſertam. Quo in Statu nullo modo vel conſcientiæ, vel fidei ſatisfacere ſe poſſe ſeriò arbitratur, quin exquiſitiſſimis, & humilimis Regem ſuum obſequiis, proceres verò Reipubl. promptiſſimis honoris, & obſervantiæ ſtudiis colat, ac veneretur. Extat hac de re egregius canon in doctrinâ apoſtolicâ, in hunc ſenſum. Maneat unuſquiſque in vocatione, ut vocatus eſt. Si ſervus es vocatus, hoc eſt, pro more illius ſeculi,

li, legitimo titulo juris, in ſervili conditione conſtitutus es, ob id in Statu, & ſtudio Chriſtianiſmi anxius eſſe noli: verum ſi ad libertatem aſpirare poteris, hunc Statum potiùs eligas. Etenim qui vocatus eſt ſervus in Domino, id eſt, ſic diſponente divinâ providentiâ in ſervitute conſtitutus, is liber eſt Domini; ſive per redemptionem Chriſti Salvatoris coram Deo, apud quem nulla eſt proſopolepſia, ſolutus eſt lege peccati, & pleniſſimè particeps Chriſtianæ libertatis, cæleſtiſque hæreditatis. Similiter, qui vocatus eſt liber, conſtitutus in Statu civilis libertatis, ſervus eſt Domini obſtrictus ad obſequium fidei, & mutua officia pietatis, atq; humanæ ſocietatis. Carè redempti eſtis, & precioſo in ſtatu Chriſtianiſmi conſtituti, nolite fieri ſervi hominum: hoc eſt; ita Statum, & jura libertatis veſtræ exactè tueamini, ne conditio veſtra fiat deterior, & obnoxia magis humano dominatui, qui fortè in exercitio pietatis, & functione Chriſtianorum operum promptitudinem veſtram morari poſſet. Summa: maneat unuſquiſque in eo vitæ ſtatu, ad quem legitimis, & probatis in uſu civili vocatus eſt mediis, & officium agat non obiter, ut hominum judicia fallat, ſed fideliter, tanquam coram oculis omni-præſentis Dei, quem nulla verſutia fallere poteſt. Hoc dogma Civitas Dantiſcana amplectitur, & profitetur: & regulam ſuarum actionum in guberna-

tione Status conſtituit: in eoque, non obſtantibus variis adverſitatibus, continuabit

Vt rupes vaſtum quæ prodit in æquor,
Obvia ventorum furiis, expoſtaque ponto,
Vim cunctam, atque minas perfert, cælique mariſque,
Ipſa immota manens.

Inquirit q. gentes aliarum gentium curam suscipiant.

Quartò, pergit expoſtulabundus, & quid aliis populis curæ ſit in Republ. Polonâ, admodum diſertus exaggerat. Miror autem abſurdum videri, quod uſu frequentiſſimum, & naturali neceſſitudini inter homines convenientiſſimum eſt. An non meminit, in componendis motibus, qui tot annos Reges Hiſpaniæ, & Belgicas Nationes exercuerunt, non tantùm Cæſarem & Principes Germaniæ, tum item Galliæ, Britanniæ, & Daniæ Reges, alieno in Regno operam ſuam nonnunquam collocaſſe, ſed etiam Generoſum Paulum Dzialinium in id ipſum Regis, & Reipubl. Polonæ mandato incubuiſſe: cujus Orationis argumentum deſcriptum extat in libro 14. hiſtoriæ Belgicæ ab Everhardo Reydano conſignatæ. Certè dies atque charta me deficeret, ſi ex univerſali hiſtoriâ omnium gentium, conſpirantia exempla, ad hoc convincendum in medium conferrem. Non puto in fide, & autoritate libri, qui de rebus geſtis Maccabæorum extat, & primus in ordine numeratur, autorem Diſcurſus aliquid deſiderare. Videat itaque in capite

ſexto,

ſexto, quàm ſit prolixus ſcriptor, in commendandâ populi Romani virtute, & eo præcipuè more, quo facilè debilioribus Statibus, vim à potentioribus paſſis patrocinium præſtiterunt, atque in clientelam ſuſceptos haud ſegniter tutati ſunt. Et ne quid dubii reſtet, adducamus ſaltem majus omni exceptione Abrahami Patriarchæ heroicum factum in liberando Lotho captivo. Imperavit tunc temporis Kedorlaomor multis gentibus in Syriâ, & vicinis regionibus, quæ deſciverunt ab ipſo communi quaſi conſenſu, atque inter has, Sodomæ & Gomorræ Reges. Is igitur ſuos rebelles in fidem, & Ordinem reducturus ingenti prelio debellaverat Sodomæum cum ſociis, & ejus Vrbis incolas captivos abduxerat. At in hunc Regem, Statum ſui imperii, hoc modo, juxta arbitrium diſponentem, atque de ſeditioſis pœnas repoſcentem Abrahamus armavit, & duxit domeſticas copias, deprehenſumque feliciter oppreſſit recuperatis rebus omnibus à victore paulò ante abactis. Hîc, juxta Diſcurſus Autorem, non quidem fauſtâ acclamatione, ſed diris potius imprecationibus excipiendus fuiſſet Abrahamus, à Melchiſedeco ſummo Iuſtitiæ Antiſtite, dum maximè obſtitit Kedorlaomoro, quo minùs, quæ voluit in Regno ſuo, conſtituit, ſubditiſque impoſuit. At, inquis, Abrahamus agnati cauſam egit. Hoc eſt, quod volo, nimirum jus

 cogna-

cognationis vigere inter homines, ſpecie non differentes, per quod ad mutua humanitatis officia ſibi præſtanda obſtringuntur. Sunt in Naturâ manifeſta principia communitatis & ſocietatis humanæ, quæ licet gradibus ſecernuntur, hoc tamen commune habent, ut quicquid ſine detrimento commodari poſſit, id tribuatur vel ignoto. Hoc in ordine, ſanguinis propinquitas homines charitate devincit; & magna illa communitas eſt, quæ conficitur ex beneficiis ultrò & citrò datis, acceptiſque. ſed cum omnia ratione, animoque luſtraris, omnium neceſſitudinum nulla eſt gravior, nulla major, quàm ea, quæ ex communione divini cultus & religionis, deinde gentis etiam, nationis, linguæ, ſtudiorum, & cumprimis patriæ derivatur. Vnde ſecundùm gradus iſtius neceſſitudinis poſteà varia proficiſcuntur opera mutuæ benevolentiæ, quæ latè ſe extendunt, & ita ſpecialibus Rerumpubl. terminis nequaquam coanguſtantur, quin munus iſtud humanæ benignitatis tranſcendat aliquando montes atque maria, ac ubique debitam naturalis ſocietatis fidem explere conetur. Hinc Cicero expers affectuum graviter infert: Qui Civium rationem (in diſponendis rebus imperii) dicunt habendam, Exterorum negant, hi dirimunt communem humani generis ſocietatem: Quâ ſublatâ, beneficentia, liberalitas, bonitas, juſtitia funditùs

tùs tollitur: quæ qui tollunt, etiam adversùs Deos immortalès impii judicandi sunt: Ab his enim constitutam inter homines societatem evertunt. Hoc puto sufficere, & absolvere posse Dantiscanos ab errore, si dicant, exteras gentes habere, quod inferant contra telonia Polonica. Quod ipsum etiam confæderati Belgici Status in responso Generoso D. Dzialinio Legato Polonico dato manifestâ suâ declaratione testati sunt; cum profiterentur se Serenissimos Reges Poloniæ honore, & observantiâ perpetuò prosecuturos: nihil dubitantes Sacram Ejus Majestatem similiter permissuram esse genuinum suum cursum negotiationi: quæ, quamdiu jura gentium valerent, non posset vim, vel restrictionem pati. Hæc ad legati comminationem, ut sibi videbatur, reponebant, qui inter alia monuerat, ut cogitarent, quantùm in commerciorum usu cum Polonis commodi verteretur.

Quintò, Absolutis ita parergis aliquot, quæ datâ ab Autore Discursus occasione necessariò resolvenda fuerunt, tandem ad rem ipsam progrediamur, in his Enuntiationibus comprehensam.

1. In omni absoluto statu Politico, Ei, vel iis, in quibus Status consistit, de rebus Status sui absolutè, quicquid libet, constituere jus, & fas est.

2. Nemini jus competit disponendi, vel refor-

mandi quicquam in eo ſtatu, ad quem is, velut perſona Status, nullatenùs pertinet.

3. Omne illud quod licet in uno aliquo Statu abſoluto, id licet in omnibus. Et viciſſim, quod in omnibus licet, id in uno aliquo, ex eodem genere haud licere, non poteſt.

4. Denique tantùm à quoquam præſumi, ut in alterius ſtatu reformatum aliquid velit, quod ab aliis ejuſdem Status conſtitutum eſt, nullo modo ab iis, qui iſtius Status ſunt, ferendum eſt.

Has enunciationes Autor Diſcurſus in argumentatione fundamenti loco præſupponit, & procul dubio invictas judicat. Verum eas multis laborare imperfectionibus, juvante Deo, facile probabo. Nam prima, ſecunda, & quarta falſa eſt in negotiis, quæ ſunt juris gentium. Quorum enim aliqua in re, per rationem juris naturalis intereſt, eorum in præjudicium nihil in aliquo politico Statu, etiamſi ſummo, ſtatui poteſt. Iiſque quorum intereſt, ratione iſtius intereſſe, competit jus controvertendi Statuta alterius Status, quatenùs eorum intereſt: Illudque ferre nolle, ſatis inhumanum eſt. Inter gentes autem, quantumvis diſtinctis Statuum limitibus ſeparatas jura communia, & inter alia, vel maximè ea, quæ commerciorum, atq; vectigalium rationem concernunt, vigere, tam notum eſt, quàm quod notiſſimum.

Gentes externis competit ius controvertendi statuta alterius status.

Ceſſat

Cessat itaque in summis etiam Imperiis, dictamine hujus juris, in humanis necessitatibus fundati, absoluta statuendi ratio: & eatenùs per Naturam rei Ordinatæ potestatis determinationem subit. Proinde quoque simpliciter suo tantùm ex arbitrio, & commodo Status sui leges his in rebus princeps, vel proceres Reipubl. formare nequeunt, quin attendant, quid naturalis ratio, & humanus usus ferat. Adducam hic vetus, & Christiano Principe dignum, tametsi adhuc in denso paganismo ab Imperatore Antonino ad Ælium Martianum directum rescriptum, cujus hæc sunt verba. Dominorum quidem potestatem in servos suos illibatam esse oportet, nec cuiquam hominum jus suum detrahi, sed Dominorum interest, ne auxilium contra sævitiam, vel famem, vel intolerabilem injuriam denegetur iis, qui justè deprecantur. Docetur hoc in rescripto utrumque. Primò, Potestatem Dominorum in servos, & tanto magis potestatem Principum in subditos, quarum utraque juris est gentium, ex æquo & bono, juxta regulas juris naturalis, quod inter homines communem cognationem & propinquitatem sancivit, interpretationem admittere, nec ad merum, & absolutum ejus, qui potestate fungitur, arbitrium simpliciter extendi. Secundò, Officium humanitatis, quo subvenitur iis, qui majorem vim patiuntur, maximè secundùm Naturam esse:

esse: Adeoque heroum conatus, quales dicuntur fuisse Herculis, item Tamerlanis, & aliorum, ad emendationem errorum, & vitiorum in politico regimine subortorum directos, haud noxios publicis Statibus & ordini civili, sed inprimis salutares, necessarios & elogio dignos fuisse. Vti enim expedit Reipubl. particulari ex civili ratione, ne quis in eâ degens, re suâ malè utatur: Ita multò magis in Republ. Vniversali gentium, ex ratione naturali, ne quis in humanâ Societate constitutus, re suâ malè utatur, expedire nullatenùs dubitandum est. Vnde & legitima remedia, quibus hujusmodi abusus corriguntur, & præcaventur haud quaquam improbari, sed eisdem juribus esse conformia, omninò asserendum est. Hæc res adeò domesticis exemplis evidens est, ut opus non sit huic aliundè multa congerere. Si enim jure licuit desciscentes populos Prutenos à Dominatu Crucigerorum recipere in protectionem, & Reipubl. Polonæ inserere: quid ni, ex naturali lege communis necessitudinis inter homines, licuisset eosdem Crucigeros bonis rationibus inducere, vel alio modo disponere, ad humaniorem gubernationem, sine divulsione populorum sub eorum imperio anteà comprehensorum. Posteriùs sanè minùs est, quàm prius, & cui licet quod plus, eidem licet quod minus est. Hæc verò, quod protestando memoro, saltem in thesi disputo,

ut

ut oſtendam verum ſenſum præmiſſorum axiomatum: nec me latet, quàm pronum ſit, à tramite recti hac in re deflectere. Interim abuſus non debet abolere uſum, & rei veritas per errores ſupprimi. Alibi autem, ubi ex profeſſo de hac materiâ agitur, conſtituendi ſunt termini, intra quos hujuſmodi officia conſiſtere debent.

Ad tertiæ Enunciationis declarationem pertinet, quod in myſteriis Theologicis habetur; Videlicet, Infinitæ potentiæ regulam Iuſtitiam eſſe, neque divinum Numen videri ullo modo poſſe, quod nullo modo velit poſſe, nempe quod injuſtum eſt: Idque propter divinorum idiomatum, quæ in Eſſentiâ divinâ realiter non differunt, ſummam harmoniam. Hoc ſi obtinet in primo fonte omnis perfectionis, quidni etiam in delegatâ poteſtate, & vaſallis Dei attendendum erit. Videndum itaque primò, num id, quod quiſquam in ſublimi poteſtate licere ſibi putat, juſtum ſit, nec ab exemplo ſimpliciter argumentari licet; cum adeo benè in humano genere civilis ſocietatis Status comparatus non ſit, ut ſemper ii, penes quos ſumma reſidet poteſtas, ſint item juris & juſtitiæ obſervantes. Deinde diverſitas formarum in politico Statu diverſam rationem exercendæ poteſtatis Politicæ neceſſariò inducit: quod adeo verum eſt, ut non liceat principi in unâ aliquando provinciâ

De natura supremæ potestatis, et eius exercitio in diversis formis Rerumpublicarum.

ſui Status, quod ipſi licet in alterâ eju ſdem ſui Status. Hic enim is error eſt, quem Dux Albanus Philippo Regi perſuaſum voluit, Idem ipſi licere in provinciis Belgicis, quod ſibi Duci in ſuo ducatu, & Regi liceret in aliis ampliſſimi Dominatus ſui regionibus, partim vi armorum, & jure belli, partim aliis pacati Status titulis, multùm inter ſe, quod ad regimen Status, & uſum poteſtatis attinet, differentibus, acquiſitis. Neceſſum itaque eſt, ut antequam reliquorum Chriſtianorum Regum in adminiſtratione Status fundatum exemplum proceribus Poloniæ imitandum commendetur, prius demonſtretur, juſtum eſſe quod agatur: poſteà eandem ubique rationem Status eſſe, eundem genium, indolem, complexionem, atque ſortem gentis: his enim Statuta uniuſcujuſque Reip. prudenter adæquanda ſunt: quæ niſi exacta conveniunt, uti per omnia comparatio, ita quoque imitatio in negotiis Status inſtitui nequit. Quid enim ſi ſic colligerem: In Statu Regni Daniæ aliquot præfecturæ Arcium & Caſtellorum, perinde ut fit in Poloniâ, arbitrio Regis benemeritis ex equeſtri Ordine conferuntur, cum perceptione partis fructuum, ſecundùm certam quotam à Majoribus olim definitam. Accidit autem, mutato temporum ſtatu, quod tantum ex antiquis reditibus regiis, quantum ad ſplendorem aulæ ſuſtinendum requirebatur, non

ſuppe-

ſuppeteret : ideoque ut his defectibus ſupplementum pararetur, defalcatum eſt tantundem ex veteri quotâ præfectorum, quantum fuit neceſſarium. His ſi adderem ex hiſtoriâ Siculâ & Neapolitanâ, quomodò primates Status iſtius Regni, per indomitum Caballum olim Neapoli graphicè repræſentati, injecto fræno paulatim diſpoſiti ſunt ad Regis ſui arbitrium : & quæ in his,atque aliis Regnis de bonis quoque Eccleſiaſticis decerpta atque ſtatuta ſunt. Ergo hæc in Poloniâ imitanda veniunt. Nonne ab autore Diſcurſus rectè reſponderetur ? Apage cum tuis exemplis. Nos libera ſumus natio. Nihil in nos ſine nobis ſtatuentibus ſtatui poteſt, quod ſtatuendum eſt. Hoc itaque vult, & ſic eſt formanda propoſitio. Licet unicuique Statui libero, intra terminos ſui Status, ſpontè & voluntario motu ſtatuere de ſe, quod videt apud alios benè conſtitutos Status rationabiliter cum bono publico, & optato ſucceſſu quotidie de ſe ſtatui. At hanc propoſitionem, ad ſtabiliendum negotium telonii marini, in portu Dantiſcano, nihil prodeſſe video. Non enim ſtatuentes tantùm, ſed & alios, ad Statum haud pertinentes, hoc afficit ſtatutum. Secundò, non eſt merè voluntarium, quia non omnes ad Statum pertinentes in id conſentiunt. Certè Dantiſcani ſunt de his, in quos ſine ipſis in causâ telonii marini nihil ſtatui poteſt. Tertiò, Status iſte ita ſimpli-

citer liber non eſt, quin in eo ſtatu ſint, qui certa jura publicis Diplomatibus confirmata, maximè in causâ telonii, eidem contraria juſto titulo poſſident.

De diverſis ratibꝫ exigentium telo-neorum in di-verſis locis.

Porrò ne non ſibi abundè ſatisfactum putet Diſcurſus autor, accedam ad ipſam ſpeciem inductionis. Dabimus igitur hoc induſtriæ Spiringiorum, qui fortè in arte publicanâ nullius gentis morem non habent perveſtigatum, id ſic eſſe, ut autor retulit, inſtitutum illarum gentium in colligendo vectigali. Diſtinguendum autem eſt primò inter tolerantiam & aſſenſum. Certum enim eſt, à pleriſq; populis, pleraſque allegatas exactiones haud probari: quapropter conniventia referenda eſt ad rationem Status, ſine dubio modum inventuri, per quem exceſſus corrigatur, quàm primùm id eadem ratio ſtatus exigit. Secundò, Liberæ gentes poſſunt ex ratione ſtatus uni, vel alteri genti ad certum tempus haud illibenter conſentire hujuſmodi exactiones: quæ diſpenſatio certis ob certam rationem facta, ab aliâ gente in exemplum allegari nequit: Res manifeſta eſt in Spiringianâ exactione ſub Guſtavo Rege, quam cæteræ Nationes ferè omnes in Baltico Mari negotiantes haud ægrè tulerunt, propterea quod ejuſdem factionis erant cum illo, & ille communem cauſam agere videbatur. Tertiò, Non eſt omnium regionum in commerciorum Statu par ratio. Tentari poteſt tutò hujuſ-

modi

modi aliquid in aliquo loco ſine ullo periculo nego-tiationis; quod ſi ſimiliter tentaretur in alio, ſtatim ibidem, vel paulatim commerciorum Status tur-baretur.

Poſtremo: Concluſionis loco duarum quæſtio-num reſolutionem annectam, ad hanc illuſtrandam materiam apprimè utilem. 1. Annon, ſi ſereniſſimi E-lectoris Brandeburgici, & Civitatis Dantiſcanæ con-ſenſus in ſtabiliendo hoc marino telonio bonis, & legitimis modis accederet, id ipſum juxta præſentium temporum conſtitutionem ferri, & defendi poſſet? 2. An non omninò fidei, & conſtantiæ Civitatis Dan-tiſcanæ conveniret, ut accommodaret ſe publicæ uti-litati, & communis patriæ ſaluti privatam commo-ditatem poſtponeret? In priori triplex conſideran-dum eſt fundamentum, quo juſtitia rei nititur. Pri-mum eſt conſenſus gentium, ſive ſubmiſſio non coacta, ſed voluntaria: quæ hic interveniſſe dici ne-quit. Secundum: evidens commodum, & implicita utilitas eorum, quos hoc onus tangit. Quemadmo-dum excuſari poteſt ſubſidiarium illud telonium, ad reparationem Croneburgenſis fortalitii, in Sundenſi freto Regi Daniæ ſolutum, quatenùs nimirum hujus operis perfecta conſtitutio, ad ſecuritatem iſtius mea-tus, in gratiam negotiantium conſervandam, lucu-lentè conducit. Hujuſmodi autem commune com-

modum, in reciprocâ exagitatione Coſacorum Saporoviorum, & Tartarorum Crimenſium, indeq; communiter ſubſequentium conflictuum Turcicorum, mutua strage cum gente Polonicâ, in limitibus Regni, verſari, nondum omnibus perſuaſum eſt. Tertium conſiſtit in quadam ſpecie repreſſaliarum, quâ æquum cenſetur alterius gentis advenas ſubjici paribus oneribus, quæ ipſi aliis ſuo loco imponunt, niſi ſubſit gravis aliqua diſparitatis ratio. Juſtum enim, autore Pytagorâ, eſt antipeponthos, ſeu quiddam retaliatum. Nam ut eſt in proverbio, Juſta malis hæc admiſſo pro crimine pœna eſt, Si quæ fecerunt, eadem patiantur & ipſi. Atque hæc ſola ratio ſubvenire poſſet inſtituto autoris, niſi aliud obeſſet, quod aliquando majoris incommodi causâ, vetat jure ſuo uti. Quod alteram quæſtionem attinet, melius nemo, quàm ipſi Dantiſcani ad eam reſpondere poſſent: Nec ego his meis dictis quicquam ipſorum declarationi præjudicatum volo, ſed meos ſaltem, haud longè fortè ab ipſorum mente aberrantes conceptus animi ſimpliciter proponam. Primò, quid juvat tantum, quantum omnino fieri potuit, feciſſe in gratiam Patriæ, cum nihil, feciſſe, benignè ſit? Poteſt ingratitudine ſuâ Patria extinguere naturalem affectum in filiis. Nec enim hic character prorſus eſt indelebilis. Quemadmodum vir in Hiſtoriâ Romanâ celebratiſſimus Africanus Major, ne

Num sint causes quare Civitas Dantisc. in hac controversia cedere debeat, et commodum privatum publico postponere.

ne oſſa quidem ſua ingratæ Patriæ poſt obitum concedere voluit. Etenim quid non factum ab hac Civitate ad teſtandum fidem ſuam in bello prutenico? Quid verò viciſſim gratitudinis relatum? Imò quid non tentatum à malevolis, ut de reſiduo ſuo qualicunque nitore in lugendum ſqualorem præcipitaretur? Secundò, privilegia Civitatis fulcra ſunt ejuſdem libertatis. Hæc autem res eſt inæſtimabilis. Cogitet ſaltem generoſiſſimus Equeſtris ordo, quàm acriter militet pro conſervatione jurium liberrimi ſui Status in Republ. & quam minimè vel minimum ſibi in iis derogatum velit? Non itaque æquâ ratione deſiderari poteſt à Civitate, ut decedat à ſuis juribus, quin exemplo demonſtretur, tantundem ceſſiſſe ſe de ſuis juribus, aut cedere paratos eſſe cæteris Status in emolumentum patriæ. Accedit quod Iuſtitia haud ferat in communione Reipubl. alterum privare inſigni aliquo commodo in gratiam Patriæ, quin ſtatim aliâ in re, à reliquis ejuſdem Reipubl. membris tantundem, & omninò quantum fieri poteſt, æquivalens aliquid è communione ſolatii, & ſublevandi incommodi loco, eidem conferatur. Tertiò, ſubindè repetunt, & proculdubio demonſtrare poſſunt, quotquot rei nauticæ, & maritimæ negotiationis periti ſunt Dantiſcani uſum iſtius telonii cum inſigni deſtructione commerciorum infallibiliter conjunctum

eſſe.

esse. Non itaque tantum erit ex eo commodi in communi, quantum id forte fisco profuturum est. Et quid juvabit, plus decedere privatis in negotiatione non Dantiscanorum saltem, sed & Polonorum, quàm indè debilitatis commerciis accedere emolumenti publico, cui in summâ necessitate subveniendum est è privatorum facultatibus. Quartò & postremò, ne sim prolixior, facit huc, quod Autor Discursus non sine singulari tripudio cordis, multoties suo in scripto lectoribus inculcatum voluit, atque hunc tam Dantiscanis, quàm Exteris Syllogismum suggerit, Nimirum, quod institutum incredibili cum abusu, tum etiam perturbatione tranquilli Status in mari Baltico conjunctum & quod Dantiscanis jugum servitutis disertè minatur, nullo modo probandum, nec promovendum sit. Tale verò ex Autoris istius Discursus publicâ confessione institutum est novi telonii marini. Assumptum, ut dixi, Necessarius iste Discursus variis in locis manifestè prodit. Quid enim sibi vult, quod ex collectâ per exactionem telonii sufficienti pecuniâ, primò, parare vult validam classem; deinde vindicare Dominium Maris. Tertiò, Terrorem incutere adversariis. Quartò, Dejicere cristas Dantiscanorum, hoc est, eodem interprete, exuere eos facultatibus. Quintò, Evertere Civitatis jura, consuetudines & privilegia. Sextò, Summam libertatem Nobilita-

tis

tis Polonicæ ſtabilire in ſervitute Civium Dantiſcanorum? Tunc enim, inquit, verè liberi erimus redactis omnibus in ordinem, juxta præſcriptum Diſcurſus. Cui reformationi, propoſitoque ingentis conatus nihil aliud obſtat ad rei ſummam conficiendam, quàm ut ad arma contra contumaces & rebelles conclametur, atque hac ratione non tantùm publico, ſed etiam privato conſultum erit: nec enim fruſtra conſulum patrimonia notaſſe exiſtimari poteſt. Videtis itaque, quid vobis expectandum ſit Dantiſcani, à Diſcurſus hujus patronis, ſive ſponte veſtrâ abdicaveritis vos jure libertatis, atque privilegiorum veſtrorum, ſive ea majorum exemplo, & ſalvâ fide ſubjectionis, legitimè ad poſteros veſtros propaganda ſuſceperitis. Sed hæc utcunque jam pridem deliberata, decretaque ſunt in animis adverſariorum civilis libertatis, & inimicorum Civitatis, nihilominus tamen certum & indubitatum eſt, Deum autorem atque cuſtodem eſſe honeſtorum, & inprimis Chriſtianorum cætuum Politicorum, cujus divino beneficio ferendum eſt acceptum, quod Auguſtiſſima Reſp. Polona in deliberatione hujus negotii, & ſubſecutâ Conſtitutione, ante omnia veterum jurium, & privilegiorum, tum etiam in executione, pacis, atque tranquillitatis rationem accuratiſſimè habendam, piè & religiosè præſuppoſuerit: Adhæc quoque benigniſſima

Sacræ Regiæ Majeſtatis Natura abhorreat ab omni vi fidelibus ſubditis inferendâ, & has, de autoritate priſcorum jurium ac conſuetudinum, civiles controverſias, modeſtis tractatibus ac bonorum virorum interventu, nequaquam autem hoſtili certamine compoſitas velit. Quo in propoſito Deus miſericors Regiam ejus Majeſtatem placidè confirmet, & violentorum conſiliorum autores ad moderationem flectat, ut præſentis & futuræ ſortis in æternitate memores, manus & conſcientias vereantur civili ſanguine polluere.

Articulus XXIV. Diſcurſus.

D*Antiſcani verò hoc in medium proferunt, & dicunt: Per noviſſima Pacta Stumſdorfiana telonia ſublata, eamque ob cauſam Rempubl. nullam poteſtatem habere, nova telonia inſtituendi: pacta verò Stumſdorfiana ita ſonant: Telonia ſtatim eundem in Statum, atque in idem jus reducantur, in quo fuerunt ante hoc bellum. Quo jure Telonia Marina inſtituimus? Ius illud eſt, quod ante bellum Suecicum habuimus. Ipſi culpandi, imò puniendi ob iniquitatem admiſſam in eo, quod juxta præſcripta pacta, non ſtatim quoque pecunias ſubſidiarias, item acciſas pernicioſas tunc abrogârint, nec pluris, uti ante bellum receptum, exegerint. Atque ut commercia in ſtatum priſtinum reducta viderentur, ſigilla-*

sigillationem quoque pannorum deponere, atque restituere, & nos Nobiles Poloniæ, ac Magni Ducatus Lithuaniæ, tantisper premere non debuissent, quemadmodum ad hodiernum usque diem nondum desistunt. Verùm proprii quæstus causâ ita se gerunt, quasi rem ita non intelligerent, sicque silentio prætereunt. Hujusmodi, & plures aliæ inconvenientiæ è medio tollantur, necesse est.

Responsio ad Articulum XXIV. Discursus.

IN refellendâ assertione hujus articuli non opus est ullo labore. Quatuor ejus sunt membra, de quibus brevissimè. Primò, Quæritur de vero sensu allegati articuli ex Stumsdorfianis pactis. Hic ii, qui se vidisse protocollum istorum tractatuum, iisdemque interfuisse dicunt, clausulam illam: In idem jus: in gratiam principis, & Electoris Brandeburgici adjectam testantur, ne fortè post confectas Indutias, sub prętextu minus ab illo custoditi portus Pillaviensis, proventus portorii in jus Reip. Polonæ concederet. Secundò quæritur, quæ fuerit ratio, sive conditio portorii in Republ. Polonâ, ante bellum Suecicum? Ad hoc responsum extat Divi Regis Stephani, in publicis Comitiis Regni, anni 1585. approbatum. Volumus & consentimus pro nobis, & successoribus nostris, ut æstimatio exigendi de mercibus portorii pro valoris

conditione, penes Senatum Dantiſcanum more hactenus conſueto, permaneat: neque ſupra binummalem auctionem portorium, vel ex noſtrâ, vel ex Civitatis parte, ullâ ratione amplius augebimus, neque ſucceſſores noſtri augebunt. Quodcunque autem jus adimit facultatem vetus portorium augendi, id ipſum multò magis perimit facultatem in eodem loco novum introducendi. Tertiò, Quæritur, num ſubſidiaria illa media Civicarum collationum ſint contraria articulis allegatorum pactorum? Reſpondetur negativè. Nam Civitas ab annis ducentis in jure & poſſeſſione hujuſmodi Civicarum collectarum conſtituta eſt: illudque jus regiis Diplomatibus multoties confirmatum fuit. Quartò, Quæritur de ratione, & jure ſigillationis tranſmarinorum pannorum in urbe Dantiſcanâ? Reſpondetur: Conceſſum eſt hoc jus, durante bello Suecico, in Pruſſiâ Dantiſcanis publicis in Comitiis Polonicis, unanimi conſenſu Procerum Reipubl. & quidem in aliqualem remunerationem, ac recompenſationem perpeſſi maximi damni, nec minorum ſumptuum factorum in bello, propter fidem Reip. ſervatam. Nihil autem ratione exterorum aliud hic actum eſt, quàm quod Commercium Anglicanum, quod anteà fuit Elbingæ, Dantiſcum eſt tranſlatum. Idque cum privatis ſine dubio licuerit Anglis ſpontaneo motu exequi, abſque violatione pacto-

pactorum: quidni licuisset idem hoc salvis pactis ordinare Status Reip. nemine contradicente. Ea verò, quæ de abusu, & gravamine hujus juris dicuntur, saltem meri rancoris in exulcerato contra Civitatem animo indicia sunt. Tum & totius Reipubl. fides, ac autoritas hic agitur, né quod in consideratione maximorum meritorum deliberatò levidensis alicujus recompensationis loco datum est Civitati, sine causâ, in gratiam quorundam adversariorum Civitatis, peremptum, & revocatum videatur.

Articulus XXV. Discursus.

VEhementer quoque ad cautionem, Regno Sueciæ in tractatibus Stumsdorffii præstitam, sese referunt: quam ita intelligere, & considerare volunt: si procederent Telonia Marina, ageretur contra Cautionem. sic universis persuadere conantur: simplices homines, & de fece vulgi, facilè crederent rem ita comparatam esse: sed longè aliter sese res habet. Cautio Regno Sueciæ præstita ejus est tenoris, ut durantibus Induciis annorum viginti sex nullæ naves militares contra Regnum Sueciæ Dantisco emittantur: hoc certè pacto, Cautio nullatenùs ad exactionem restringi potest. Sed aliud est quod ab ipsis quæritur: Metuunt sibi tantummodò portibus nostris, teloniis unà cum Dominio maris in manus nostras receptis, ne non ipsorum exorbitantiis inspiceremus, uti supra in ali-

 quibus

quibus punctis retuli, ſicque ſacculos ſuos non amplius, uti hactenus factum eſt, replere valeant.

Reſponſio ad Articulum XXV. Diſcurſus.

HIc Autori Diſcurſus hærere videntur Dantiſcani, in viciosâ cautionis ſuæ, Regno Sueciæ præſtitæ, applicatione. Sed ab hoc ſphalmate facilè vindicari poſſunt. Non autem alio utendum eſt argumento, quàm ipſe Diſcurſus ſuppeditat. Haud enim negat, hoc eſſe in cautione, ut durantibus induitiis nullæ naves militares contra Regnum Sueciæ, è portu Dantiſcano emittantur. At hanc cautionem Dantiſcani in effectu bonâ fide, & certò præſtare nequeunt, inſtituto telonio marino. Nam, fatente autore, hæc ipſa pecunia, ex telonio collecta, melius collocari nequit, quàm ut inſtruatur claſſis, & Dantiſcani de poſſeſſione portus dejiciantur. Hæc ſunt manifeſta, plura non addam.

Articulus XXVI. Diſcurſus.

ADmiratione dignum eſt, Regem Daniæ, Principem adeò excelſum, ſapientem, clarum atque ſenem, ſibi imponi à ſubditis noſtris paſſum eſſe, ut abſque fundamentali cauſæ cognitione, naves Regias Polonicas tam hoſtiliter abſtulerit. Alii Reges bonam atque amicabilem vicinitatem in-

ter

ter ſeſe recolentes, invicem ſe monere ſolent de ſubditorum infidelitate: abſit ut in malitiâ ipſis auxilio veniant. Ius, ſi quod prætendat, in flumina & portus noſtros, noviſſimè ſibi acquiſiviſſe neceſſe eſt: nam annis ſuperioribus Rege Guſtavo in Rheidâ noſtrâ penes Dantiſcum, cum claſſe ſuâ hærente, atque telonium exigente, cur tunc Rex Daniæ non acceſſit Suecoſque illinc abegit? Verùm, quoniam Sueci navibus minimè Danis cedere ſciant, abſtinere omninò coactus eſt. Hac igitur de causâ, non ad Reip. auctoritatem, aut proprietatem, ſed impotentiam navium reſpexit, quoniam ipſum non latuit, nos ad reſiſtendum pro tempore non ſatis paratos.

Reſponſio ad Articulum XXVI. Diſcurſus.

NON indiget ſereniſſimus Rex Daniæ ad defenſionem ſuæ cauſæ exterorum patrocinio: Hoc ſaltem addendum, quod inter alia commemoratum eſt: nimirum increbuiſſe tunc temporis publicâ famâ, haud obſcurè hoc agi tam in Britanniâ, quam Belgio, ut præſtandi in Mari Baltico ſecuri commeatus, illarumque gentium onerarias Dantiſcum uſque conducendi causâ, naves aliquot armarentur. Id autem cum minimè ex re ſtatus ſui futurum Rex Daniæ arbitraretur, videlicet, ut Mare Balthicum peregrinarum gentium armatis navibus teneretur: & eas ab inſtituto haud aliâ juſtâ ratione divertere poſſet, quam

ut

ut ipse liberi commeatus, atque tranquilli maris præstationem reciperet, post reliquas causas, quas ipse in literis hac de re scriptis producendas duxit, & alias nobis ignotas, minimè tamen eam, quam Discursus Autor fingit, id quod actum est, jure suo agendum sibi putavit; serenissimi Regis Poloniæ sublimitatem nihilominus, ut inter pares, & tanti culminis principes convenit, comiter & honorificè colens, atq; diligens.

Articulus XXVII. Discursus.

QVi Marina Telonia, salutemque Patriæ, annihilare satagunt, hunc proferunt Discursum, verbis sequentibus: Exigentibus nobis telonia, necesse est ut merces nostras internas, quas deorsum defluitamus, divendamus minoris, quàm telonia marina conficiunt: è contra merces exoticæ in regiones nostras illatæ, cariùs nobis constent, quàm dicta telonia Marina conficiant. Hæc quidem prætendunt, de facto verò non probant, sed quæ huic contraria, ante oculos nostros quotidie versantur. Quæ igitur merces illæ nunc sunt advectæ, de halecibus, aromatis, pannis, vino & id genus aliis omnibus exoticis mercibus, quas modò minoris grosso emere possumus, quàm annis superioribus 1630. 31. 32. 34. *&* 35. *durante Suecicâ Licentiarum exactione, emimus? Verùm è contrario, merces indifferenter omnes pluris, quàm annis supra dictis factum, nunc emere oportet. Etenim Merces aliunde allatum non imus; sed per peregrinos ad nos adportan-*

portantur, illique, mercibus adportatis in Regiones nostras, compelluntur eo precio divendere, pro ut merces in Regionibus appetuntur, uno tempore plus quàm altero. Mercibus verò iis advectis, quæ non admodum desiderantur, tanti eas venundare coguntur, quanti possunt: Licet etiam cum jacturâ fiat. Quare pauxillum, quod telonia marina conficiant, consideratione indignum. Idem de mercibus nostris domesticis, quæ aliorsum exportantur, dicendum. Nonne annis 1630 *&* 1631. *Dantisci lastam siliginis ducentis, imò trecentis florenis vendidimus? idque durantibus temporibus, quibus Licentiæ Suecicæ exactæ sunt: rursusque sequentibus annis, precio multò minori, lastam nimirum* 150. *usque ad* 80. 90. *imo etiam* 100. *florenis, licet Suecicæ licentiæ plus confecerint hisce præsentibus auspicatis teloniis. Quis igitur statuat, nos damno affectos, aut adhuc adficiendos tempore exactionis? Alii sunt sumptus magni, qui negotiationi subsunt, & quos præsentiscere non possumus. Inde damnum vel emolumentum sumimus, uti brevi exemplo delineabo. Naves quando Dantisci in magnâ copiâ adsunt, pensiones transportationis minoris constant, ut Mercatores Lastas transmittant, septem, octo, novem, vel decem florenis Hollandicis, cum è contra in defectu navium* 16. 18. *&* 20. *florenos Hollandicos, aliquando etiam plures, pro lastâ solvant: quæ differentia certè major, quàm telonia conficiant, tamen nec pluris, nec minoris merces distrahimus nostras, quam anteà. Quod verò interdum tanta differentia incidat, ut quando-*

que plus 30. 40. 50. vel 80. florenis nobis pro laſtâ dependatur, quàm alio tempore, hoc inde eſt, quando in Regionibus noſtris annonæ caritas eſt, ut parùm defluitetur: ſive etiam quando Anglia, Gallia, Hiſpania, Italia aliæque regiones indigent, ob eandem annonæ caritatem, in ſuis regionibus Merces noſtras ita in magnâ copiâ quærant, ex his merces noſtræ emiſſæ, precio tam magno veniunt. Cum verò annonæ vilitas eſt, & regiones frumento abundant, ut mercium noſtrarum miſſione opus non habeant, tunc quoque pluris non conſtabunt. In tantâ commerciorum viciſſitudine, telonia illa exigua in conſiderationem neutiquam veniunt, nec animadvertimus etiam nobis plus, minuſve obulo mercibus noſtris, quàm temporibus præcedentibus in exactione Suecicâ factum, accreſcere.

Reſponſio ad Artic. XXVII. Diſcurſus.

Num telonea statum mercaturæ mutare possit?

IN hoc articulo, ſuſcipit Autor Diſcurſus defendendum non vulgare paradoxon: nimirum telonia per ſe nihil ferè ad mutationem Status commerciorum conferre? Certè in locis, ubi conſtituta ſunt Monopolia, & quidem earum rerum, quarum ſumma eſt ad humanæ vitæ ſuſtentationem neceſſitas, ibi quidem ita comparatum eſt, ut nihil non liceat venditori. Sic Ioſepho in Ægypto frumentum diſtrahente, tempore ſeptennii nulla telonia potuiſſent ſtatum ejus negotiationis mutare, propter ſummam rei indigen-

gentiam. In Bataviâ Socii negotiationis, quæ ab Orientalibus Indiis dependet, post occupationem Moluccarum, Caryophillorum, & myristicarum nucum copiam, ut ferunt, soli ferè obtinent, earumque valorem pro arbitrio constituere, ac eisdem propterea ex usu Status sui quicquid libet, oneris imponere possunt, cum aliâs hisce rebus potiundi facultas non detur. Si talis Status rei frumentariæ in Poloniâ existeret, jam obtinuisset Discursus Autor, quod desiderat. Verùm cum longè aliter res se habeat, opponimus eidem commune effatum omnium mercatorum, nempe quod si mercem, in singulis centenis florenis, alicubi dimidio saltem floreno, minus carè comparare possint, quàm alibi, præteritis aliis omnibus, ad unicum istum melioris fori locum confluant. Nisi itaque par ubique proportio valoris, & impositorum onerum, ratione frumenti, & reliquarum Polonicarum mercium, in Maris Baltici emporiis constituta fuerit, jam actum est de ejus loci transmarinæ mercaturæ statu, ubi in proportione excessum est. Ideoque Rigenses non absurdo voto hanc ipsam in portubus Prutenicis novi telonii institutionem vehementer desiderare dicuntur, certum, Prutenorum ex incommodo, suum commodum facturi. Hoc ipsum igitur Mercatorum judicium cum sit naturali rationi consentaneum, contrarium axioma verum est: Telonia

per ſe ad mutationem Status commerciorum multum conferre poſſe. Iam conſideremus Diſcurſum. Rectè dictum eſt, Mercaturam variis obnoxiam eſſe caſibus: quos omnes prævidere, & præcavere, vel ſagaciſſimis eſt impoſſibile: Vnde multiplex varietas in precio, & ſtatu mercium ſuboritur. Hoc autem quamplurimum adverſatur Autoris intentioni. Nam inde inferre licet, nihil ad rem facere exempla allegata: ſiquidem ex iſtis variorum caſuum cauſis factum eſſe poſſit, quod telonii aucti, vel diminuti genuina operatio, per iſta accidentia minus fuerit animadverſa, vel etiam impedita. Quoties enim plures, & diverſæ cauſæ concurrunt, altera alterius effectum ſæpe numero ſiſtere, vel intervertere poteſt. Deinde harum aliquot cauſarum, & inprimis telonii ratio, non multum abſimilis eſt cæleſtibus conſtellationibus, quarum diverſa collocationis diſpoſitio, inprimis planetarum, inter ſe non primo, & eodem ſtatim Conjunctionis, vel oppoſitionis momento, ſed poſt aliquot menſes, vel annos demum operatur. Ita animadverſo novo, vel inſolito aliquo in negotiationis Statu gravamine, non adeò derepentè mutatio inſtituitur, ſed tempus ſibi commodum negotiatores ſumunt probè meditandi, & impigrè perveſtigandi, quibus modis illud declinare, & alibi locorum, ſi licet, effugere poſſint. Sic tempore exactionis Suecicę quia

haud

haud diu eam duraturam præſagiebant, nec adeò communibus uſibus, ut ferè tunc pleriſque Regem Guſtavum commune negotium gerere perſuaſum erat, invidebant: his de cauſis de deſerendo, vel alibi conſtituendo commercio, non adeò fervidè conſultatum fuit. Poſtquam autem anno ſuperiori apparuit Spiringios nonnullis in Poloniâ, ad exemplum Suecorum, ſimilem exactionem in Mari Baltico perſuaſiſſe, ſtatim in primo conventu Deputatorum ex ſtatibus Hollandicis deliberatum eſt, de ineundo contractu multorum annorum cum Moſcoviæ Duce ratione commercii frumentarii: Concluſumque ut eâ de re mitterentur Legati cum poteſtate conveniendi cum ipſo, niſi illud novum telonii inſtitutum in Pruſſiâ tolleretur. Quod illorum conſilium, ne ab imperitis rideatur, de ſtatu Moſcoviæ hoc, in hac materiâ, tenendum eſt. Parùm in eâ regione villicorum, & ruricolarum differt à mancipiis conditio: cum ipſe Dux plenam ſibi in ſuorum ſubditorum familiarias bona poteſtatem ſumat. Inde fit, ut ferè nihil amplius acquirere ſtudeant, quàm ipſa rei mera neceſſitas ad tranſigendum vitæ ſuæ curriculum poſtulat: cum iſtius, quod prætereà aliquo labore parandum eſſet, uſu ſe magnopere haud gaudere poſſe, ſatis intelligant. Hinc unà cum aliis parandarum opum exercitiis agricultura quoque negligitur, ita ut largior ſe-

ges, tametſi in ſpacioſiſſimis arvis, non proveniat, quàm Incolarum uſu quotannis conſumitur. Hoc itaque eſt quod Hollandi Moſcorum Duci, facta ſpe ingentis proventus, perſuaſum cupiunt, ut vi ſuæ poteſtatis adigat Incolas ad diligentem agricolationem: cujus operæ urgendæ, & promovendæ, ſi ex ſuâ gente præfectos, & Anteſignanos certâ conventionis lege ibidem Hollandi conſtitutos habuerint, nihil certius ſibi, præſuppoſitâ divinâ benedictione, pollicentur, quam intra paucorum annorum intervallum, tantam in illis oris frumenti copiam, quanta ſibi ad proprios uſus, & continuationem ejus commercii cum aliis gentibus ſufficit. Inter dubia motum quidem fuit, hujus negotiationis hanc eſſe rationem, quod ob diſtantiam locorum ſemel tantum, vel ad ſummum bis in anno naves redire poſſent. Verùm ad reſarciendum hoc incommodum, oſtenſum eſt, naves ad illud iter adhibendas triplo capaciores eſſe iſtis, quæ in Mari Baltico negotiantur: adeoque unâ vice tantùm per illas advehi, quantùm minores tribus expeditionibus apportare ſolent: immunes interim à teloniis in mari Baltico conſtitutis. Ob hanc rem, & alios caſus, quos in negotio, & ſtatu commerciorum non poſſe homines perſentiſcere Diſcurſus autor fatetur, cautè omnino agendum eſt, ne ſtatus mercaturæ jam pridem nonnihil turbatus, in emporiis Pruſſiæ magis abigatur,

tur, & contingat quod in fabúlis repræſentatum eſt, per catellum cum jacturâ hærentis in ore boli, largiorem ejus umbram captantem. Reliqua verò, quæ ad pleniorem hujus thematis enucleationem ſpectant, & in ſpecie, quæ cauſæ fuerint caritatis annonæ in annis proximè præteritis, ipſimet Dantiſcani, occaſione datâ ex fundamento declarare poterunt. Qui ſi enarraverint omnia, errorem quoque ſuum occultare non poterunt, quod ſemel atque iterum iiſdem in annis à tempore priorum ſexennalium confectarum indutiarum cum Regno Sueciæ, ſine ſatis urgente ratione tam caro precio frumentum à Polonis comparaverint, ut in ejus viliori diſtractione omnes penè fortunas ſuas everterint.

Articulus XXVIII. Diſcurſus.

DAntiſcani quidem ſupra modum privilegia ſua allegant: Cujus rei cauſâ, noviſſimè etiam ſcripta in publicum emiſerunt. „quæ vera iidē extorquere conantur inveniunt" *Omnia hæc articulatim cum illis diſputare nimis longum foret: quare cuilibet Patriæ noſtræ amantium dijudicandum propono, quærendo: Num Dantiſcani privilegia poſſideant: & quis ejuſmodi privilegia, libertati noſtræ Polonæ contraria, concedere valeat? Nos Reſpubl. libera ſumus: Quî igitur Dantiſcum Civitas, quæ nobis eſt ſubdita, jactare ſe poteſt, ſe privilegiis frui, quibus libertas noſtra Polonica atteratur? Hæc nec nunc, neque in perpetuum probabunt,*

habunt, nullusque Libertatis nostræ Amatorum ejusmodi patietur.

Responsio ad Articulum XXVIII. Discursus.

FATEOR me hìc in fine postquam in cæteris Discursus articulis refellendis collocata opera nil nisi ludus fuit, veluti horrore quodam corripi. Quid enim est, quod quæritur: Num Dantiscani privilegia possideant? Et quis ejusmodi privilegia, libertati Polonæ contraria, concedere valeat? Hoc est, quod sub initium turbarum in Belgio Alphonsus de Vargas protulit: Non curamus vestros privilegios. Verbum, quod multarum gentium atro lapillo notatum est: & cujus posteà successores ejus pænitentia cepit. Mirum itaque, hoc publicè in Poloniâ scripto proditum, quod ab infideli potius Scythâ, (ignoscendum hîc dolori justo) quàm Nobili Sarmatâ profectum videri potest. Hoc enim quæritur; Num ulla Prussiæ (nam eadem planè in hac quæstionis energiâ totius Prussiæ, atque Civitatis Dantiscanæ conditio est) sit cum Republ. Polonâ necessitudo, vel socialis fides? Iura enim status, sive privilegia Prussiæ, & Civitatis Dantiscanæ vinculum sunt Vnionis, & communis Reipubl. inter Polonum, Prutenumque populum. Constat hoc, ex reciprocâ sponsione Terrarum Prussiæ, eodem anno 1454. quo conceptum est Diploma Vnionis, Thoru-

Thorunii ſignatâ: quæ ita ſonat: Promittentes pro nobis, hæredibus, & ſucceſſoribus noſtris, ſub fide, & honore, ac onere per nos præſtiti juramenti, quod præfato illuſtriſſimo Principi Domino Caſimiro Poloniæ Regi, & Ejus Succeſſoribus, Regibus Poloniæ, velut fideles & ſubjecti, quemadmodum cæteri ejuſdem Regni incolæ, parebimus, auſcultabimus, obediemus, fideliter & conſtanter, perpetuo & in ævum, Iuribus noſtris ſemper ſalvis. Abſolvit igitur à fide Status Pruſſiæ, qui jura Status diſputat, ut enervet. Ac inter hos Status Civitas Dantiſcana Statum Conſiliarii, quod juxta ſtilum Polonicum idem eſt ac Senatoris; nequaquam verò Statuum ſubditi locum ſuſtinent; adeò ut hic non incommodè hujuſmodi Dignitatis ſuæ ſugillatoribus, quod in hiſtoriâ Romanâ memoratur, objicere poſſit: Si me haud agnoſcas Senatorem, ego te nec Conſulem agnovero. Sunt adhæc jura, & privilegia tam univerſi Status Prutenici, quàm Civitatis Dantiſcanæ Regum omnium, Ordine ſibi ab Vnionis factæ tempore ſuccedentium, in ſolemni uniuſcujuſque inauguratione publico juramento roborata, & confirmata. Quibuſcum juramentis ne exiſtimet Diſcurſus Autor licitum eſſe ludere, uti pueris ſuis aſtragalis, audiat, quid de eis pii, & conſcientioſi viri ſentiant. Iuramentũ eſt, inquiunt, aſſeveratio de re poſſibili &

licita, facta cum invocatione veri Dei: quâ petimus, ut is ſit teſtis dictorum, & puniat fallentes. Præterea noſmet, ipſo teſte, ad pænam obligamus, ſecundùm ipſius comminationem, quaſi arguentes eum mendacii, ſi non puniat fallentes; ſicut dixit: Non habebit inſontem Deus, quiſquis vanè uſurpaverit nomen ejus. Hæc definitio, addunt, oſtendit, quàm terribile vinculum ſit juramentum, & quantum mali ſit, violatio juramenti: Tantas contumelias Deus verax & juſtus ſeverè punit, expreſſis verbis ſuam ſententiam de pænâ tradidit, eamque atrocibus exemplis quotidie confirmat. Continetur verò in juramento Regio, ſecundùm relationem Cromeri, quod non tantum ſecundùm leges, & inſtituta majorum regnaturus ſit Electus Rex, ſed etiam ſuum cuique Ordini & homini, jus, privilegiumque & beneficium à prioribus Regibus collatum, ſit ſalvum conſervaturus. Quod officium conſervationis, juxta verbi emphaſin, hoc complectitur, ut etiam contra hujuſmodi prævaricationes publicorum jurium, quales in Diſcurſu paſſim deprehenduntur, Sacra Regia Majeſtas eorundem jurium ſuſcipiat Patrocinium, nec permittat ea, quorum per unum & alterum ſeculum indubitata fuit autoritas, nunc tandem indignis modis, nullâ datâ occaſione, odio, livore, & ſophiſticatione malevolorum everti, aut profanari. Quod ut evidentius reddatur,

datur,

datur, annectamus verba confirmationis jurium Dantiſcanorum, juxta Diploma Regium in fauſtâ coronatione Auguſtiſſimi Regis, feliciter adhuc, & quod Deus volet, perfectâ cum incolumitate, atque longiſſimum in ævum imperantis Ladiſlai Quarti, expeditum anno 1633 in hunc ſenſum:

In Nomine Domini, AMEN. Cum Regum & Principum laudes, quibus virtutis memoria æternitati conſecratur, illuſtriores reddantur, quando fidelium ſubditorum commoda, utilitates, honorem, & dignitatem tuentur, eorumque Saluti, & felicitati conſervandæ, augendæque conſulunt: proinde Nos Ladiſlaus Quartus, Dei gratia, Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kioviæ, Volhiniæ, Podlachiæ, Livoniæque nec non Suecorum, Gottorum, Vandalorumque hæreditarius Rex, Electus magnus Dux Moſcoviæ, &c. ſignificamus præſentibus literis noſtris, univerſis ac ſingulis, quorum intereſt, harum notitiam habituris: Quod cum in felici Coronatione noſtrâ omnium incolarum Regni, & Dominiorum noſtrorum jura & privilegia ſolemniter confirmaverimus, petieritque per internuntios ſuos Civitas noſtra Gedanenſis, ut ſpeciali quoque Diplomate jura atque privilegia ſua confirmaremus, & omnium libertatum, immunitatumque ſibi competentium firmitati, autoritate no-

ſtrâ Regiâ proſpiceremus, ipſumque juramentum, à nobis in Coronatione noſtrâ Regiâ præſtitum, ad Status Terrarum noſtrarum Pruſſiæ, & ſic ad eandem Civitatem Gedanenſem pertinere declararemus: Ideò Nos cognitam perſpectamque habentes ſingularem præfatæ Civitatis fidei conſtantiam, integritatem, ſinceritatemque, & præclara benè merendi ſtudia, Prædeceſſoribus noſtris, Regibus Poloniæ, & inprimis D. Parenti noſtro, totique Reipubl. nuperis belli motibus egregiè comprobata: volenteſque omninò talem illius virtutem & merita gratiâ noſtrâ Regiâ compenſare, & quæ ad ornamentum & incrementum ejus ſpectare videntur, clementer promovere: omnia ac ſingula Civitatis noſtræ Gedanenſis jura, privilegia, libertates, prærogativas, immunitates, & receptas conſuetudines, Eccleſiaſticas & ſeculares, ſub quibuſcunque verborum tenoribus & modis, per ſereniſſimos prædeceſſores noſtros, Reges, Principes, Duces, Magiſtros, quocunq; tempore data, conceſſa, emanata, & datas, conceſſas, emanatas atque obſervatas, nominatim etiam Tractatum portorii, ſive Conventionem cum Sereniſſimo olim Stephano Rege, portorii ratione initam, & quævis alia munimenta, antiqua & recentia, donationes item, inſcriptiones, cautiones, & literas qualeſcunque, ſeorſim vel cum aliis conjunctim obtentas, quorum, & quarum

rum tenores hîc haberi volumus pro inſertis atque expreſſis, in omnibus ſuis punctis, capitulis, articulis, clauſulis, conditionibus & contentis confirmanda, roboranda, ſtabilienda, ratificanda, & confirmandas, roborandas, ſtabiliendas, ratificandas duximus, & decrevimus: pro ut vigore præſentium confirmamus, roboramus, ſtabilimus, ratificamus, & de certâ ſcientiâ noſtrâ approbamus & renovamus, illaque & illas perpetuæ, veræ, indubiæ, & inviolabilis firmitatis robur obtinere debere ſtatuimus, & ſub juramento noſtro Regio, in prædictâ felici coronatione noſtrâ corporaliter præſtito, ſanctè pollicemur. Quo videlicet, uti Terras Pruſſiæ, ſic etiam Civitatem noſtram Gedanenſem ita comprehenſam eſſe volumus, & declaramus,ut omnia Terrarum Pruſſiæ Civitatiſq; Gedanenſis privilegia & jura ſarta tecta remaneant: omniaque eadem obligatione,ac tam firmiter,quàm aliis Statibus, & Ordinibus Regni Poloniæ Nos ſervaturos recipimus. Promittentes cuncta illa ſuperius memorata Civitati noſtræ Gedanenſi, quomodolibet ſervientia, quibuſcunque dicantur nominibus, nullatenùs infringere, labefactare, aut imminuere: quin potius conſtanter illæſè & inconcuſſè tenere ac obſervare, tenerique & obſervari facere, temporibus perpetuò duraturis: Et ſi qui defectus intervenerint, quo minus quicquam eorum hactenus impletum fuerit,

in toto, vel in parte, vel si quid intermissum sit, id imposterum redintegrare emendare, & realiter, ac cum effectu adimplere: ita ut omnia incommoda, abusus & difficultates, quæ contra prædicta jura, ac privilegia quoquo modo irrepserunt, illis nec præjudicare, nec ullâ ratione obesse debeant: nec contrariis rescriptis, aut concessionibus, quandocunque impetratis, vel impetrandis, iisdem directè, vel indirectè derogari possit: quæ, quasve pro injustis illegitimis ac nullis semper haberi, neque vim ullam, vel validitatem iis attribui volumus, & confirmationis hujus autoritate definimus. In quorum omnium fidem, præsentes manu nostrâ subscriptas sigillo Regni communiri jussimus. Datum Cracoviæ in Comitiis felicis Coronationis nostræ, die decimâ Martii, Anno Domini 1633. Regnorum nostrorum Poloniæ & Sueciæ primo anno. Præsentibus Reverendissimis, Reverendis, Illustribus, Magnificis, Venerabilibus, & Generosis &c:

Concludam hoc scriptum nullo, quod & in fronte testatus sum, vel ne minimum quidem offendendi animo, sed solius populi Dantiscani in hoc ventilati telonii negotio sublevandi gratiâ ab omni suspicione seditionis, contumaciæ, vel refractarii propositi, his cum suspiriis ad Salvatorem nostrum directis.

Nate

Nate Dei, fluctus pelagi compesce furentes,
Irruit in cymbam multa procella tuam.
Te quasi sopito jam mergi penè videtur,
Sed vigila & parvum, Magne, tuere gregem.
Vt tibi pertexat gratis præconia verbis,
Et tua perpetuâ nomina laude canat.
Aura tonet, sonet Vnda, minis fremat Orbis, & Orcus,
Tu tamen insertos nos tibi, Christe, teges.

AMEN. AMEN.

SOLI DEO GLORIA.

Errata sic Emendanda.

Pag.7. lin. 27. Lithoanum *lege* Lithuanum. p.10. l.15. Altioquin *lege* Alioquin. p.11. l.19. subfragii *leg.* Suffragii. p.12. l.8. destinatam *l.* destinatum. p.14. l.20. post vocabulum, composita, inseratur verbum, sumitur. p.14. l.21. & 27. Litho. *leg.* Lithuan. p.21. l.6. Christanæ *leg.* Christianæ, p.21. l.19. Prussiæ *l.* Russiæ. p.23. l.22. præcipita *leg.* præcipua. p.27. exercendo *leg.* exerendo. p.33. Bumbardæ *leg.* Bombardæ. p.36. indicabitur *leg.* judicabitur. p. ib. periclitatante *leg.* periclitante. p.44. *pro* Beioldo *leg.* Besoldo. p.45. *pro* clasiarios *l.* classiarios. p.94. l.6. *pro* tum *lege* tam. p. 95. l.4. eversit *lege* evertit. *Si quæ alia, per se facile corriget æquus Lector.*

FINIS.